Quaestiones chronologicae ad Xenophontis Hellenica pertinentes

Dr. phil.
Herwart Lohse

90496 w

2 —

Lohse


Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/quaestioneschron00lohs

LGr
X55h
:Y2o

Xenophon. Hellenica

QUAESTIONES CHRONOLOGICAE
AD
XENOPHONTIS HELLENICA
PERTINENTES

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

Ernest

HERWART LOHSE
FRIBERGENSIS

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

507996
2. 6. 50

LIPSIAE
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MDCCCCV

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS
DE HAC DISSERTATIONE
WACHSMUTH **LIPSIUS**

LIPSIAE D. III. M. NOVEMBRIS A. MDCCCCIV

PROCANCELLARIO
SEELIGER

CURTIO WACHSMUTH

TABULA ARGUMENTI

pag.

Exordium 1

I. De nauarchis Lacedaemoniorum.

1. De pugna Cyzicena Thrasyllique expeditione in Ioniam facta 3
2. De proelio Notiensi 18
3. De Araco nauarcho 23
4. De Pharace nauarcho 24
5. De Mnasippo nauarcho 29
6. De nauarchorum temporibus 34

II. De bello Corinthio, Cyprio, Olynthiaco.

1. De bello Corinthio terrestri 48
2. De bello Corinthio navali 53
3. De bello Olynthiaco Phliasioque 59
4. De Panegyrico belloque Cyprio 69
5. De Ecdico, Hierace, Antalcida, Teleutia nauarchis 78

III. De Hellenicorum libris sexto atque septimo.

1. De Cleombroti expeditionibus in Phocidem factis 81
2. De Thebanorum expeditionibus Peloponnesiacis 83
3. De Dionysii tyranni auxiliaribus rebusque Thessalicis . . . 90
4. De tertia Epaminondae expeditione Peloponnesiaca atque de Euphrone 95
5. De pugna Mantinensi 99

Conclusio 103

Index rerum et locorum 105

EXORDIUM

Quae facta sint a Graecis inde ab anno ante Christum natum 411 usque ad 362, continuo narrata invenimus apud Xenophontem atque apud Diodorum. Quorum hic singulis quidem annis res gestas attribuit sed satis perverse, ille tempora interdum respexit, saepius neglexit, quo factum est, ut magnae virorum doctorum dissensiones de rerum ordine exorerentur. Permultos autem credo me vituperaturos esse, quod de eis rebus quaedam sim prolaturus, quae sescenties sint tractatae, praesertim cum his temporibus Beloch, Meyer, Busolt totam Graecorum historiam componere instituerint. Attamen hac ipsa re de temporibus eius aetatis ut quaererem, primum adductus sum, quoniam alii anno Beloch tribuit Thrasylli expeditionem Ionicam, alii Meyer. Cui rei indicandae cum operam darem, occurrerunt Lacedaemoniorum nauarchi, atque de his Boernerum secutus a Belochio, Meyero, Busoltio dissentio. Quamobrem quoniam nauarchorum serie adhibita hi, quibus annis gestae essent res belli Corinthii navalis, constituebant, hoc fundamento, ut ita dicam, detracto vel commutato mihi quoque tractanda erant non solum hoc bellum sed etiam bellum Cyprium Isocratisque Panegyricus. Quem ut tempori suo assignarem, Olynthi urbis obsidionem non omisi; sed de hac aliter censet Iudeich Meyerque, aliter Beloch, aliter Fabricius, quorum tamen neminem plane rectum vidisse suspicor. Itaque quamquam his de annis inde a 390 usque ad 378 nihil fere novi proferam, cum unumquodque factum nulli anno,

quantum fieri possit, non sit adscriptum, tamen quia nemo adhuc vir doctus, quorum quidem libros inspexerim, res horum annorum artissime inter se cohaerentes composuit ea ratione, quam comprobarem, meam sententiam exponere supervacaneum non putavi.

Quibus rebus primum, tertium, quartum, quintum Hellenicorum libros, etiam alterius atque sexti partem complexus, de septimo quoque quaestiones chronologicas institui, neque enim de annis 369, 368, 367 Sieversium, qui cum alios multos tum Meyerum Belochiumque habet assentientes, laudo ac ne Niesei quidem commentariolo nuperrime edito hanc litem ad finem esse perductam arbitror. Contra de triginta virum temporibus, quippe quae iterum atque iterum sint tractata, brevissime, quid sentiam, mihi liceat adicere. Iam igitur res a nauarchis Lacedaemoniorum inde ab anno 411 usque ad 372 gestae quibus temporibus acciderint, quaeramus.

I. DE NAUARCHIS LACEDAEMONIORUM

1. DE PUGNA CYZICENA THRASYLLIQUE EXPEDITIONE IN IONIAM FACTA

Ab ipsa secunda Hellenicorum paragrapho incipiunt virorum doctorum dissensiones. Quamquam enim significari ea hiemem 411/0 verisimillimum est, tamen non deest, qui inter duas pugnas in Hellesponto commissas totius anni spatium intercidisse putet his causis commotus. Primum celeberrimam illam litem, qua certatur, cui anno tribuenda sit Thrasylli expeditio in Ioniam facta, disceptari omnino non posse censet,[1]) quod plane neglegendum est ei, qui illam rem disserere sibi proposuerit. Deinde Xenophontem verbis cum Thucydide conexum esse negat,[2]) neque tamen hoc est demonstratum neque, si verum est, ex eo efficitur, ut totius anni res gestae interierint, quia perpauca verba deesse possunt. Et cum ne rebus quidem Thucydidis historias continuari dicit,[3]) male Buechsenschuetzii[4]) Friedrichiique auctoritate est usus. Ille enim cum Sieversio[5]) consentiens dies fere XL intermissas esse existimavit, nequaquam totum annum. Friedrich vero eandem Agesan-

---

[1]) Lenschau, Die Zeitfolge der Ereignisse von Ende Sommer 411 bis zur Arginusenschlacht. Philologus Suppl. VIII p. 315. — [2]) Lenschau l. c. p. 315. — [3]) Lenschau l. c. p. 315. — [4]) Büchsenschütz, Xenophons Griechische Geschichte. Philologus XIV p. 511. — [5]) Sievers, Commentationes historicae de Xenophontis Hellenicis 1833 p. 8—10.

dridae victoriam et a Thucydide et a Xenophonte tradi putat.[1]) Contra res ab his narratas artissime inter se cohaerere pro certo affirmo. Alcibiades apud Thucydidem[2]) Sami est
I, 1, 5. cum XXI navibus, apud Xenophontem[3]) ad pugnam Abydenam advenit cum XVIII navibus.[4]) Tissaphernem ille ad
I. 1. 9. Hellespontum profecturum tradit,[5]) hic protectum. Adde classes Atheniensium Peloponnesiorumque tam prope inter se collocatas in mari Hellespontico,[6]) ut per totum annum nihil memoria dignum esse gestum cogitari vix possit, neque enim quicquam, quod inter Thucydidis et Xenophontis historias intercederet, factum esse legimus apud Diodorum nisi Athenienses Cyzico, ubi eos reliquit ille,[7]) Sestum navi-
I, 1, 3. gasse.[8]) Ibidem apud Madytum invenimus eos in Hellenicis. Et per hiemem quidem bellum navale intermissum
I, 1, 2. esse posse concedo, sed inde usque ad novae hiemis initium numquam esse dimicatum Alcibiade Mindaroque ducibus probabile non videtur. Atque etiam veteres hoc senserunt. Xenophontem enim incipere ab eo temporis puncto, quo finivisset Thucydides, et Diodorus[9]) et scriptor vitae Thucydidis anonymus[10]) et Marcellinus[11]) dixerunt. Denique Lenschau iniuria Diodori verba *ἤδη τοῦ χειμῶνος λήγοντος*[12]) neglexit[13]), quae scriptorem ullum finxisse quomodo potest intellegi? Nonne talia firmissima sunt argumenta ad tempora rerum cognoscenda? Veri autem 409 ne Lenschau quidem pugnam Cyzicenam tribuit. Constat igitur Dorieum **hieme ineunte 411 ad Hellespontum venisse.**

I, 1, 2. Iam quaerendum est, quid sit illud *ἀρχομένου χειμῶνος*. Qua de re quamquam multum est disputatum, tamen accu-

[1]) **Friedrich**, Zu Xenophons Hellenica und Agesilaos. Fleckeisens Jahrbücher für klassische Philologie 153 p. 290. — [2]) Thuc. VIII, 108,2. — [3]) Hellenicorum locos liceat mihi in margine apponere. — [4]) **Meyer**, Geschichte des Altertums IV (1901) p. 606. — [5]) Thuc. VIII, 109. — [6]) Thuc. VIII, 107. — [7]) Thuc. VIII, 107,1. — [8]) Diod. XIII, 40,6. — [9]) Diod. XIII, 42,5. — [10]) cap. V, Westermann p. 201. — [11]) Marc. vita Thuc. 45, Westermann p. 195. — [12]) Diod. XIII, 49, 2. — [13]) Lenschau l. c. p. 321.

ratius quicquam posse enucleari nego, neque mensem vel mensis partem, quae verbis illis indicetur, licet definire Neque enim eum scriptorem, qui postea ne annis quidem singulis res distribuisset, hac operis parte certo die aestatem finivisse coepisse hiemem verisimile est. Praeterea ex initio alterius libri: *Οἱ δ' ἐν τῇ Χίῳ μετὰ τοῦ Ἐτεονίκου στρατιῶται ὄντες, ἕως μὲν θέρος ἦν, ἀπό τε τῆς ὥρας ἐτρέφοντο καὶ ἐργαζόμενοι μισθοῦ κατὰ τὴν χώραν· ἐπεὶ δὲ χειμὼν ἐγένετο καὶ τροφὴν οὐκ εἶχον γυμνοί τε ἦσαν καὶ ἀνυπόδητοι* Xenophontem non mensium numero sed tempestatibus ac temporum varietate aestatem hiememque distinxisse apparet. Itaque si quae *ἀρχομένου χειμῶνος* facta sunt, posteriore Octobris parte aut Novembri mense gesta esse statuo, me id suspicari, affirmare non posse concedo. Mea quidem sententia apud Abydum dimicatum est posteriore mensis Octobris parte aut primis sequentis diebus.

Iam igitur venio ad pugnam Cyzicenam. Ex Diodoro [1]) Mindarum *ἤδη τοῦ χειμῶνος λήγοντος*, ut Athenienses aggrederetur, se paravisse cognoscimus. Etiam Siculum vel potius Ephorum, quippe qui ipse quoque ne annis quidem singulis res disponeret,[2]) hic tempestates non sidera respexisse consentaneum est. Idcirco hoc quoque anni spatium non tam terminemus, quam suspicemur totum fere mensem Martium, fortasse et Februarii et Aprilis paucos dies eo contineri; certo ea, quae I, 1, 8—10 narrantur, media hieme 411/0 sunt gesta. Sed pugna Cyzicena alia ratione accuratius definiri potest, Hellenicorum enim loco I, 2, 1 novum ver invenimus indicatum verbis *ἀρχομένου τοῦ θέρους*, quae nondum in suspicionem venerunt. Usque adhuc autem valde dissenserunt viri docti, utrum haec sit aestas 410 an 409, quae lis exorta est ita: Octo imperatores Athenis damnatos esse constat Callia archonte [3]) Apaturiis, quae I, 7, 8. Pyanepsione mense celebrabantur,[4]) id est autumno 406,

[1]) Diod. XIII, 49, 2. — [2]) Meyer l. c. III p. 254. — [3]) Aristot. Pol. Ath. 34, 1. — [4]) Schol. Arist. Ach. v. 146 Dind.

cuius anni ver Xenophon incipit I, 6, 1. Nam illud ἔτος Xenophontis ab eodem tempore atque ver initium capere locis I, 2, 1 et I, 3, 1 demonstratur.

At omnia illa τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει a multis viris doctis in suspicionem sunt vocata. Cuius rei causae, quas protulerunt, praeter unam nihil valent, et quamquam saepius sunt tractatae refutataeque, nuperrime a Busoltio.[1]) tamen facere non possum, quin meam de hac re sententiam comprobem, quoniam illis potissimum verbis sum nixurus. Ac primum quidem Beloch Xenophontem annales minime scripsisse neque verba illa convenire ad operis compositionem dixit,[2]) quod scriptor saepius uno tenore, quae non eodem anno
I, 1, 32. potuissent fieri, tradidisset. In quo Pasippidae damnationem
I, 4, 7. legatorumque Atheniensium reditum respicit.[3]) At eodem modo Thucydides quoque rebus suo loco narratis, quae postea illas essent secuta, breviter adiecit.[4]) Quid? quod Xenophon conexum eorum, quae in Hellesponto agebantur,
I, 2, 5–6; I, 2, 15 antequam novi veris initium indicaret, bis interrupit, ut alia alibi gesta commemoraret? Praeterea Pasippidam omnino nauarchum fuisse eoque nauarcho Thasios a Lacedaemoniis defecisse Beloch ipse coniecit nullis certis testimoniis usus. Atque quod ei contigit, ut illis verbis eiectis textum probabilem restitueret,[5]) hoc non est pro argumento habendum. Neque rectius Brueckner ea verba praebere suspicionem contendit,[6]) quod scripta sint proxime alia certo interpolata, nomina dicit archontum ephororumque, numeros annorum belli, res quasdam in Sicilia atque apud Persas gestas: eis enim ipsis verbis interpolatorem, ut aut anteponeret sua aut adiceret, commotum esse optime

[1]) Busolt, Griechische Geschichte III, 2 p. 698[4]. — [2]) Beloch, Zur Chronologie der letzten Jahre des peloponnesischen Krieges. Philologus XLIII p. 267. — [3]) Beloch l. c. p. 268. — [4]) Thuc. VIII, 85, 3. — [5]) Beloch l. c. p. 270. — [6]) Brückner, De notationibus annorum in Historia Graeca Xenophontis suspectis in Dindorfii editione Hellenicorum) 1838 p. 8 (LV.).

vidit Busolt,[1]) qua de re infra diligentius quaeremus. Restat, ut de Boernero pauca addam, qui has formulas aliam de alio anni tempore inveniri et hoc loco hieme exeunte, illo post Athenas captas posteriore mensis Aprilis parte[2]) anni initium significare dixit.[3]) Num hinc efficitur, ut verba *τῷ δ'ἐπιόντι ἔτει* abiudicanda sint a Xenophonte? Quem scriptorem non eum fuisse, qui uno certo die ver aut annum inciperet, supra commemoravimus,[4]) valdeque abhorreret ab Hellenicorum compositione, si auctor obsessionem autumno coeptam primis veris diebus finitam non continuasset, sed priori anno pacem Lacedaemone praeparatam, acceptam Athenis alteri tribuisset. Neque enim dubitari potest, quin hoc loco annum coeperit 404 3. Eodem modo Chalcedonis obsidionem ultimis hiemis diebus institutam novi anni initio denotato interrumpere noluit scriptor. Quae cum omnia minoris momenti esse mihi videantur, quam ut eis fides illorum verborum corruat, una tamen de causa suspecta esse possunt. Quamquam enim inter pugnam Abydenam Callicratidaeque cladem V anni 410 6 incipiunt, trium tantum annorum principia illis formulis significavit Xenophon. Itaque *τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει* aut certis argumentis sunt defendenda, aut tribuenda interpolatori.

I, 3, 1; II, 3, 1.

II. 2. 19.

II. 2. 23.

I, 3, 2.

Verum habemus certa argumenta. Nam si I, 6, 1 illa quoque verba deleremus, exstarent haec: *Κόνων δ'ἐπεὶ εἰς τὴν Σάμον ἀφίκετο καὶ τὸ ναυτικὸν κατέλαβεν ἀθύμως ἔχον, συμπληρώσας τριήρεις ἑβδομήκοντα ἀντὶ τῶν προτέρων, οὐσῶν πλέον ἢ ἑκατόν, καὶ ταύταις ἀναγαγόμενος μετὰ τῶν ἄλλων στρατηγῶν, ἄλλοτε ἄλλῃ ἀποβαίνων τῆς τῶν πολεμίων χώρας ἐλῄζετο. οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι τῷ Λυσάνδρῳ παρελθόντος ἤδη τοῦ χρόνου ἔπεμψαν ἐπὶ τὰς ναῦς Καλλικρατίδαν.* Quomodo hic novi veris initium esse interpolator videre potuit?

---

[1]) Busolt, Zur Chronologie Xenophons. Hermes XXXIII p. 662. — [2]) Plutarch, Lys. 15. — [3]) Börner, De rebus a Graecis inde ab anno 410 usque ad annum a. Chr. n. 403 gestis 1894 p. 24. — [4]) p. 5.

Dixerit quispiam illum verbis *τῷ Λυσάνδρῳ παρεληλυθότος ἤδη τοῦ χρόνου* adductum sua adiecisse. At cur non apposuit loco simillimo I, 5, 1: *Κρατησιππίδᾳ τῆς ναυαρχίας παρεληλυθυίας?* An illum, qui archontum nomina in Xenophontis memoria tam perverse disposuerit, scivisse creditis Lysandrum autumno ad classem profectum esse, Callicratidam vere? Alia igitur causa quaerenda est neque potest inveniri nisi verba *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει* genuina sunt. Atque ea ipsa interpolatorem secutum esse verisimile est ex eo, quod I, 4, 2 nulla exstant additamenta, quamquam legimus *ἀρχομένου δὲ τοῦ ἔαρος* neque tamen *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει.*[1]) Accedit alterum testimonium a Busoltio promptum,[2]) quo demon-
I, 6, 1. stratur eo, quem tractavimus, loco *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει* non ab eodem scripta esse posse, qui archontum nomina textui inseruit. Luna enim defecit non Callia archonte sed Antigene mense Aprili,[3]) ergo interpolatori commemoranda erat I, 3, 1, tamen suo loco vere 406 ineunte collocatam invenimus. Quare hoc loco non modo *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει,* sed etiam *ᾧ ἥ τε σελήνη ἐξέλιπεν ἑσπέρας* aut ab alio interpolatore rerum peritissimo inserta sunt, id quod mihi quidem probabile non videtur, aut a Xenophonte ipso scripta, certe hic ver 406 incipere negari omnino nequit.

Iam igitur redeundum est ad litem, quam diximus, de Thrasylli expeditione exortam, quoniam Xenophon ex V annorum initiis IV indicavit. Qua re permulti viri docti, ut statim ante pugnam Cyzicenam veris significationem esse neglectam ab auctore arbitrarentur, sunt adducti, alii capitibus IV. et V. non unius sed duorum annorum spatium contineri censent. Plurimaque argumenta ab utrisque sunt prolata, quae nuperrime collegit[4]) Busolt. Attamen firmissima quaeque omisit, et in ipsa re comprobanda saepius eo,

[1]) Busolt l. c. p. 662. — [2]) Busolt l. c. p. 662. — [3]) Hofmann, Sämtliche bei griechischen und lateinischen Schriftstellern des Altertums erwähnten Sonnen- und Mondfinsternisse. Programm von Triest 1884 p. 20. — [4]) Busolt, Gr. Gesch. III, 2, p. 1529[1].

quod vult demonstrare, est usus, quasi certum esset verbis *τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει* I, 2. 1 scriptis denotari initium anni 410/9 non 409/8.[1]) Immo adeo non est discordia composita, ut ne de nauarchorum quidem Lacedaemoniorum per hos annos serie Beloch, Boerner, Meyer inter se consentiant aliud alius muneris spatium et Callicratidae et aliis nauarchis assignantes. Accedit, quod nuper Solari, vir doctus Italus, unum solum nauarchum quotannis factum esse omnino negavit. Quamobrem dum de rebus ipsis quaerimus, nauarchos melius missos faciamus, ut postea rebus constitutis de eo magistratu aliquid certi enucleemus. Ideoque meam de hac re sententiam mihi liceat brevi exponere, quoniam qui nuper eam tractaverunt, Beloch, Boerner, Meyer, nauarchis imprimis sunt usi. Videamus igitur, quibus de causis Dodwell et qui ei assentiuntur, ex quibus unus est Beloch, Thrasyllum anno 409 in Ioniam profectum esse putent.

Ac primum quidem Dodwell, si Mindarus hieme exeunte classem paravisset, non ante veris initium apud Cyzicum depugnatum esse posse affirmavit;[2]) atque hoc ei concedemus Xenophontem, quae brevi ante pugnam essent gesta aut postea, etsi novi veris initio indicato noluisset interrumpere, certe tribuisse ei anno, quo ipsum proelium esset commissum,[3]) quare si mense fere Maio[4]) Graeci apud Cyzicum dimicavissent, antea capite primo quinti veris significatio inserenda erat. Sed Diodorus loco, quem citavimus, dicit:[5]) *ὁ δὲ Μίνδαρος, ἤδη τοῦ χειμῶνος λήγοντος, συνήγαγε τὰς πανταχόθεν τριήρεις.* Quid sibi vult hoc *συνήγαγε?* Num Mindarum misisse, qui naves undique ex Peloponneso aut sociorum insulis arcesserent, creditis? Neque tamen ita possumus hoc verbum interpretari, et quia Diodorus statim post pugnam Abydenam Mindarum id fecisse nar-

[1]) Busolt l. c. p. 1530, 31, 32. — [2]) Dodwell, De veteribus Graecorum Romanorumque cyclis (1701) p. 344. — [3]) Busolt, Griech. Geschichte III, 2 p. 1528. — [4]) Beloch, Griechische Geschichte II p. 75. — [5]) Diod. XIII, 49, 2.

ravit,[1]) et quod hoc ipso loco novas naves iam adesse tradit, pergit enim sic: ἔκ τε γὰρ τῆς Πελοποννήσου πολλαὶ παρεγεγήθησαν καὶ παρὰ τῶν ἄλλων συμμάχων ὁμοίως: παρεγεγήθησαν autem valere advenerant, non adveniebant, nemo negabit. Ergo verbis συνήγαγε τὰς πανταχόθεν τριήρεις Diodorus nauarchum non ex aliis maribus in mare Hellesponticum naves convocasse indicat, sed in ipsa illa regione
I. 1, 6. naves ad unum locum scilicet Abydenorum portum, ut bellum redintegraret, contraxisse, id quod perpaucis diebus effici potuit. Praeterea si Lacedaemonios multos dies in conveniendo consumpsisse statuimus, tamen temporis nota vocabulo συνήγαγε apposita diem, quo contractio finita, non quo coepta sit, ostendere mihi videtur. Priusquam autem Mindarus classe comparata protectus est, Athenienses Cardiam
I. 1, 11. fugiunt, ita hoc quoque ἤδη τοῦ χειμῶνος λήγοντος factum est. Eodem tempore[2]) Alcibiadem Lesbo, Thrasybulum Theramenemque ex Thracia auxilio arcessunt. Videmus igitur, quae Beloch ex Diodoro coniecerit[3]) de Theramene, ea cum ipsis eius verbis non convenire. Etiam si Xeno-
I. 1, 11. phontem secuti Alcibiadem Clazomenis venisse putabimus, decimo fere die adesse eum potuisse unusquisque concedet, qui tribus diebus nuntium pugnae apud Aegospotamos factae
II. 1, 30. Lacedaemonem esse allatum aut totam Atheniensium classem
I. 1, 13. una nocte Pario Proconnesum navigasse respiciet. Deinde naves duobus diebus fortasse uno noctequе sequente[4])
I, 1, 13–14. Cardia Sestum pervenire potuerunt, tertio autem die, postquam Sesto exierunt, pugna est commissa. Itaque cum quindecim diebus facile omnia facta esse credam, quae inde ab illo Diodori ἤδη τοῦ χειμῶνος λήγοντος usque ad pugnam accidissent, hanc quoque hiemi exeunti tribui posse affirmo, praesertim cum Diodorus verbis τοῦ χειμῶνος λήγοντος adscripserit ἤδη.

---

[1]) Diod. XIII, 47, 2. — [2]) Diod. XIII, 49, 3. — [3]) Beloch, Griech. Gesch. II p. 75[1]. — [4]) Diod. XIII, 49, 5.

Qua re absoluta veniendum est ad argumenta quaedam a Muellero prolata. Inscriptionem[1]) adhibuit,[2]) ubi legimus Glaucippo archonte 410 9 magnas pecunias nona prytania *στρατηγοῖς ἐν Σάμῳ* datas esse. At neque inter illos legatos nominatur Thrasyllus, neque qui tres dies Sami est versatus, I, 2. 2.
στρατηγὸς ἐν Σάμῳ appellari potuit, ex quo de aliis legatis hoc titulo agi manifestum est. Neque quod eiusdem anni tertia prytania, id est Octobri mense 410, Athenienses praefecto Pyli pecuniam numeraverunt, eo impedimur,[3]) quin castellum hieme exeunte 409 a Lacedaemoniis captum esse arbitremur,[4]) id quod Xenophon ante Chalcedonem obsessam tradidit. Recte quidem novos Syracusanorum I, 2. 18.
imperatores classem non anno 411 0 sed 410 09 suscepisse I, 1, 31.
Mileti Mueller admonet,[5]) sed hoc artissime coniunctum est
cum Hermocratis exsilio, quod nuntiatur, dum Syracusani I, 1. 27.
novas exstruunt naves; cumque eas ut aedificarent, clade Cyzicena essent coacti, Xenophon, quae inter se conexa esse sensit, dirimere noluit,[6]) sicut infra legatorum Atheniensium reditum eodem quo profectionem narravit loco, I. 4, 7.
quamquam per tres annos eos retinuit Pharnabazus. Neque eis assentior, quae Beloch de suo adiecit nova. Praetermitto, quod Agidis in Athenas impetum post pugnam Cyzi- I. 1. 33.
cenam factum esse arbitratus classi Thrasylli praeparandae usque ad mensem Maium 410 non satis temporis relinqui affirmat,[7]) quoniam qua hiemis parte Agis aggressus sit Athenas, minime constat.[8]) Verum Beloch Thrasyllum Theopompo archonte 411 0 legatum non fuisse sed ab exercitu

---

[1]) Dittenberger, Sylloge inscriptionum Graecarum I² 1898 n. 51 l. 36. — [2]) Müller, De Xenophontis Historiae Graecae parte priore. Lips. 1856 p. 43. — [3]) Müller l. c. p. 44. — [4]) Unger, Die historischen Glosseme in Xenophons Hellenika. Sitzungsberichte der Königl. Bayer. Akademie der Wissenschaften 1882 I p. 252. — [5]) Müller l. c. p. 51. — [6]) cf. Breitenbach, Xenophons Hellenika I 1873 p. XXXVII. — [7]) Beloch, Philol. XLIII p. 277. — [8]) Busolt, Gr. Gesch. III, 2 p. 1530.

imperatorem factum contendit.[1] Cuius rei certa cum habere testimonia iam Boerner negavit,[2] neque Athenienses tali periculo imminente Thrasyllum virum belli peritissimum illa de causa ducem repudiassent. Praeterea cum a populo quoque post tyrannidem sublatam imperatorem creatum esse puto, nisi forte privatum cum autumno 411 Athenas profectum esse, ut naves exercitumque peteret, censetis.

Sed haec erant leviora, iam veniendum est ad graviora argumenta. Syracusanos duobus mensibus quindecimque diebus inde a Martio mense ineunte usque ad exeuntem Maium, quo Thrasyllus apud Ephesum fugatus esset, XX
I 2, 8. naves exstruxisse Belochio verisimile non videtur.[3] Tamen id probabile esse existimo. Nam optime Assmann Plinium citavit,[4] qui contra Hieronem classem Romanam CCXX navium ab arbore effectam esse diebus XLV tradidit.[5] Quamobrem Syracusanis Antandri ad classem XX navium reficiendam duos menses sufficisse mihi persuasi, praeI 1, 25. sertim cum permagnam materiem in Ida monte invenerint neque opes defecerint. Fortasse Pharnabazus quoque eos post duos menses novis navibus perfectis Antandro discessuros esse computavit unicuique viatico duorum
I 1, 24. mensium dato. Quoniam hanc difficultatem sustulimus, reliquum est unum testimonium a Muellero citatum,[6] quo Thrasylli expeditionem initam esse Glaucippo archonte 410/9 certis verbis traditur, in Dionysii enim Halicarnassensis de Lysia libro exstant haec:[7] *λοιδορεῖ τὸν μετὰ Θρασύλλου καταλεγέντων ἐν τῷ Πελοποννησιακῷ πολέμῳ, πλέον ἐκπλεῖν εἰς τὴν Ἀσίαν ἐπὶ Γλαυκίππου ἄρχοντος.* Et concedo hoc esse aliquid, sed tamen maiora sunt, quibus hanc belli partem adscribendam esse anno 410 probatur.

Iam vero audienda est altera pars, cuius princeps fuit

---

[1]) Beloch, Philol. XLIII, p. 278. — [2]) Börner l. c. p. 28. — [3]) Beloch, Philol. XLIII p. 279. — [4]) Baumeister, Denkmäler des klassischen Altertums III (1888) p. 1600. — [5]) Plinius, Nat. hist. XVI, 74, 192. — [6]) Müller l. c. p. 42. — [7]) Dion. Lysias 21.

Haacke, qui Thrasyllum anno 410 rem gessisse his argumentis confirmabat. Primum Athenienses, qui urbe ab Agide servata ἔτι προθυμότεροι essent ad classem ornandam, I. 1. 34.
Thrasyllum per totam aestatem 410 retinuisse verisimile ei non videtur,[1]) tamen hoc parvi est existimandum, quoad de Agidis impetus tempore nihil constat, quem exeunti aestati 410 tribuerit Beloch,[2]) quoniam Athenienses Thrasyllo naves esse dandas postea constituerunt. Sed illud certe Haackio est concedendum, si cives post urbem servatam fuerint ἔτι προθυμότεροι, eos antea quoque strenuos fuisse necesse esse; id quod Xenophon dicere vix potuit, si ille inde a mense Decembri usque ad alteram aestatis partem Athenis frustra esset moratus. Immo vero alia ratione equidem Thrasyllum non multos menses Athenis mansisse colligo ex his verbis περὶ δὲ τούτους τοὺς χρόνους Θρασύλλου I. 1. 33.
ἐν Ἀθήναις ὄντος Ἄγις κτέ. Neque enim Θρασύλλου ἐν Ἀθήναις ὄντος alio consilio ab auctore scripta esse puto, nisi ut indicaret aut quo tempore id factum esset, aut felici casu tum potissimum Thrasyllum Athenis fuisse. Qui si per XVII mensium spatium domi fuisset, neque de casu felici verba facere potuit Xenophon et tempus expeditionis male terminasset. Quare verbis Θρασύλλου ἐν Ἀθήναις ὄντος, praesertim cum omitteret aut ἤδη aut ἔτι, spatium multo minus ille intellexisse mihi videtur, cumque Thrasyllum statim post victoriam Abydenam hieme ineunte 411 Athenas venisse constet, inde eum profectum esse vere I, 1, 8.
409 vix credam.

Sed transgrediamur ad alterum Haackii. Legimus apud Xenophontem ante Chalcedonem oppugnatam, id est ante ver aut 409 aut 408, Pylum, quam supra commemoravimus,[3]) a Lacedaemoniis receptam esse, quocum Haacke contulit,[4]) I, 2, 18.

[1]) Haacke, De postremis belli Peloponnesiaci annis recte digerendis (in Dindorfii editione Hellenicorum) 1822 p. 4 (XXXVIII). — [2]) Beloch, Philol. XLIII p. 278. — [3]) p. 11. — [4]) Haacke l. c. p. 5 (XXXVIII).

quod et Pylum per annos XV fuisse in potestate Atheniensium ex Diodoro scimus,[1] et quod apud Thucydidem invenimus[2] castellum munitum esse ab eis anno 425, quibus ex testimoniis Lacedaemonios id recuperavisse anno 410 non 409 apparere. At Diodorus ipse sibi repugnat, cum Pylum amisisse Athenienses XVII. anno postquam ceperant,[3] narret;[4] qua re effectum est, ut Mueller, quique ab altera parte stant viri docti, illos XV annos falsos esse contenderent.[5] Immo Beloch scribendum esse *ἑκκαίδεκα* pro *πεντεκαίδεκα* coniecit,[6] id quod praetermittendum esse arbitror, quoniam coniectura incerta nixi certa quaedam de temporibus expedire minime possumus. Sed ne Muellero quidem assentior, quia Diodorus illos XV annos apud auctorem suum, scilicet Ephorum, invenisse mihi videtur, neque tamen hic, quibus annis res essent gestae, accurate quaesivit. Maioris autem est momenti, quod Lenschau, etiamsi Haackii sententiam comprobaremus, XV annos non recte computatos esse inde a vere 425 usque ad hiemem 410/9 dixit,[7] nam re vera numero annorum a Siculo tradito nonnulli menses sunt adiciendi. Quamquam igitur illis verbis aliquid fidei detractum esse concedo, tamen ex illo quoque loco hiemem 410/9 quam 409/8 praeferendam esse, dummodo ne graviores obstent causae, nemo potest negare.

Age porro audite tertium testimonium ex Xenophontis verbis haustum,[8] quod equidem firmissimum existimo, etsi a Boernero ipso in dubitationem est vocatum.[9] Nam scriptor
I. 4, 2. ubi narravit Cyrum in Asiam venisse legatosque Atheniensium ad regem Persarum iter facientes ei occurrisse, pergit
I. 4, 5. ita: *Κῦρος δὲ Φαρναβάζῳ εἶπεν ἢ παραδοῦναι τοὺς πρόσθεν ἑαυτῷ ἢ μὴ οἰκαδέ πω ἀποπέμψαι, βουλόμενος τοὺς Ἀθηναίους μὴ εἰδέναι τὰ πραττόμενα. Φαρνάβαζος δὲ τέως μὲν κατεῖχε*

[1]) Diod. XIII, 64, 7. — [2]) Thuc. IV, 3, 2. — [3]) Diod. XII, 61, 1. — [4]) Diod. XIII, 64, 7. — [5]) Müller l. c. p. 22. — [6]) Beloch, Philol. XLIII p. 282. — [7]) Lenschau l. c. p. 327. — [8]) Haacke l. c. p. 5 (XXXIX). — [9]) Börner l. c. p. 23.

τοὺς πρέσβεις, ἡ ἄσκων τοτὲ μὲν ἀναξειν αὐτοὺς παρὰ βασιλέα, τοτὲ δὲ οἴκαδε ἀποπέμψειν, ὡς μηδὲν μέμψηται· ἐπειδὴ δὲ ἐνιαυτοὶ τρεῖς ἦσαν, ἐδεήθη τοῦ Κύρου ἀφεῖναι αὐτούς, ἡ ἄσκων ὁμωμοκέναι ἀπάξειν ἐπὶ θάλατταν, ἐπειδὴ οὐ παρὰ βασιλέα. πέμψαντες δὲ Ἀριοβαρζάνει παρακομίσαι αὐτοὺς ἐκέλευον· ὁ δὲ ἀπήγαγεν εἰς Κίον τῆς Μυσίας, ὅθεν πρὸς τὸ ἄλλο στρατόπεδον ἀπέπλευσαν. Reverterunt igitur legati ante autumni 405 finem, postea enim Atheniensibus non iam erant castra. Nunc quaerendum est, quid sibi velint illi tres anni, atque adeo non esse ambiguum sed manifestum esse affirmo Pharnabazum legatos per tres annos retinuisse. Neque enim quemquam, qui omnibus, quas adhuc instituimus, temporum quaestionibus neglectis legerit haec: *Φαρνάβαζος δὲ τέως μὲν κατεῖχε τοὺς πρέσβεις . . . . ἐπειδὴ δὲ ἐνιαυτοὶ τρεῖς ἦσαν, ἐδεήθη τοῦ Κύρου ἀφεῖναι αὐτούς,* ea aliter intellegere posse nisi ita, uti supra ea sumus interpretati, contendo, quidquid Mueller[1]) et, qui eum secuti sunt, protulerunt.

Itaque brevi ante ver incipit non 407 sed 408, Chalcedon oppugnata est vere 409, aestate 410 Thrasyllus Ioniam petivit, vel potius ex his *ἐπειδὴ δὲ ἐνιαυτοὶ τρεῖς ἦσαν* et ex illis *Θρασύλλου ἐν Ἀθήναις ὄντος*[2]) hoc statuamus Xenophontem quidem expeditionem Ionicam tribuere anno 410, nam obstat adhuc Dionysii, quod citavimus,[3]) testimonium. Sed utri maior fides sit danda, vix debet quaeri, quoniam hic alios ille se ipse auctorem est secutus, neque inepte et Breitenbach[4]) et Unger[5]), ut Dionysii errorem explicarent, quae Lysias in XXXII. orationis parte deleta narravisset, non omnia Theopompo archonte 411/0 sed nonnulla etiam Glaucippo archonte 410/9 accidisse coniecerunt ita, ut orator Glaucippum archontem nominaret, qua I. 4. 2. I, 3, 2. I, 2, 1.

[1]) Müller l. c. p. 22. — [2]) p. 13. — [3]) p. 12. — [4]) Breitenbach, Das Jahr der Rückkehr des Alkibiades. Fleckeisens Jahrb. für klassische Philologie CV p. 80. — [5]) Unger l. c. p. 252.

re deceptum illum omnia hoc archonte commissa esse annotavisse. Qua in dissensione scriptorum Xenophonti Diodorus quoque succurrit eis, quae de rebus in Sicilia gestis memoriae prodidit, ubi illum maioris auctoritatis esse quam in rebus Graecis satis constat. Neque enim fieri potest, ut Dionysium sequamur, Xenophontem neglegamus, dummodo singula eisdem annis, quibus Siculus, tribuamus, scilicet ei potissimum anno a vere incipienti, cuius aestate archon est tactus is, quem statim initio nominatum invenimus. Id quod nemo negabit, qui de rebus in Sicilia inde ab anno 415 usque ad annum 413 gestis quae Diodorus scripsit, comparaverit cum Thucydidis historiis, quique respexerit illum eodem anno tradidisse Agrigentum obsideri coeptum[1]) et VIII mensibus post brevi ante brumam captum esse.[2]) Et Selinus et Himera expugnatae sunt aestate 409[3]) et
I, 1, 37. quidem, si Xenophontis interpolatori fidem damus, III mensibus, atque ex priore loco Diodori Hannibalem vere eius anni in Siciliam proficiscendum statuisse cognoscimus.[4])
I, 2, 8. A quibus valde discrepat[5]) Selinuntios eodem anno duas naves Ephesum misisse, id quod eos, qui Dodwellium sunt secuti, credere oportet. Quamquam quod Siciliensium naves domum venerunt, dum Himera obsidentur,[6]) hoc non ita obstat[7]) Dodwellii sententiae. At Hermocrates anno 409 in Siciliam revertit[8]) pecunia a Pharnabazo accepta, ad
I, 3, 13. quem cum venerit post Chalcedonem obsessam, hanc urbem Athenienses oppugnavisse eodem anno 409 non 408 consentaneum est.

Restat, ut de Rhodiorum urbe condita pauca addam. Iam pridem Wesseling cum Diodori de hac re verbis[9]) contulit[10]) locum Aristidis in oratione, quae appellatur

[1]) Diod. XIII, 85, 1. — [2]) Diod. XIII, 91, 1. — [3]) Diod. XIII, 54—62. — [4]) Diod. XIII, 44, 6. — [5]) Unger l. c. p. 247. — [6]) Diod. XIII, 61, 1. — [7]) Unger l. c. p. 250. — [8]) Diod. XIII, 61, 1—2. — [9]) Diod. XIII, 75, 1. — [10]) Wesseling, Diodori Siculi bibliothecae historicae libri qui supersunt V. p. 601 (1796).

Ῥοδιακός, scriptum[1]: *Ἀλλ' ἐπὶ τῶν πρὸ Λυσάνδρου δή που χρόνων τοῦ Λακεδαιμονίων ναυάρχου σχεδὸν πάντες ἐπίστασθε ὅτι οὕπω συνῴκιστο ὑμῖν ἡ πόλις, ἀλλ' ἦν τῆς νήσου μόνον τὸ ὄνομα, πόλις δὲ οὐκ ἦν πω Ῥόδος οὐδ' ᾠκεῖτο ὑπ' οὐδένων, ἀλλὰ τὰς παλαιὰς ᾤκουν τρεῖς.* Optime ex his post eum Sievers Lysandrum hanc rem effecisse coniecit,[2]) praesertim cum eum nauarchum Rhodum venisse ex Hellenicis quoque sciamus. Diodorus autem id factum esse Euctemone archonte 408 7 invenit in chronographia, ut equidem credo. Perpaucis enim verbis huius rei facit mentionem continuoque praecedit Lacedaemone Pleistoanacti regi successisse Pausaniam, quibus quae eo anno gesta essent in Graecia quaeque in Sicilia, diremit Siculus. Iam videamus Xenophontem. Alcibiadem medio mense Octobri mysteriis Athenis fuisse posteaque exercitu conscripto certe non ante Novembrem ineuntem Andrum se contulisse, Lysandrum haud multo antea Lacedaemone profectum esse tradit, ut hunc quoque eodem archonte quo Alcibiadem patriam reliquisse credam. Tum venit Rhodum. Itaque utriusque profectio eidem anno tribuenda est atque Rhodi urbis principia, id est anno Euctemonis 408 7 non posteriori, Alcibiadesque Athenas revertit mense Iunio 408 non 407. I, 5, 1. I, 4, 20—5, 1. I, 4, 12.

Quoniam Thrasyllum vere 410 in Ioniam classe vectum esse demonstravisse mihi videor, redeundum est ad pugnam Cyzicenam. Nam cum scriptor postea indicet initium anni et aestatis 410, apparet eum, si non omnia, certe pugnam illam, quae sit gravissima omnium rerum eo tempore gestarum, assignare hiemi 411 0 adeoque mature Mindarum bellum navale redintegravisse, ut Xenophon omnia, quae brevi ante proelium atque postea accidissent, sub hieme ea tradere quam insequenti aestati adscribere mallet. Quamobrem apud Cyzicum depugnatum esse non post medium mensem Martium censeo. Quae sequuntur, quamquam uni- I, 1, 19—31.

[1]) Arist. Dindorf I. p. 816. — [2]) Sievers l. c. p. 64[53].

versa non sunt danda hiemi, tamen haud tanto temporis spatio ab initio veris distant, quanto putant et Meyer[1]) et Busolt.[2]) sed ante alteram mensis Mai partem finita esse possunt.

Quibus rebus absolutis quoniam ex eis, quae supra disseruimus de illis tribus annis,[3]) per quos Pharnabazus Atheniensium legatos retinuit, de Rhodiorum urbe condita,[4]) de Hermocratis in Siciliam adventu,[5]) non modo anni 410/9 initium exstare I, 2, 1, sed etiam 408/7 I, 4, 2, 409/8 I, 3, 1 comprobavimus, nihil habemus, quod de rebus altero capite atque tertio libri primi narratis adiciamus, nisi Boernerum pugnam apud Ephesum commissam falso tribuere[6]) anno Glaucippi 410/9 nobis videri: ea enim diligentia Xenophon
I, 2. hoc loco singula tradidit, ut si unquam, hic certe fides ei
I, 2, 7. sit habenda. Ergo victus est Thrasyllus XVII. die, postquam fines Lydorum invaserat, id quod fecit *ἀγομένου τοῦ*
I, 2, 4. *σίτου* mense Maio aut Iunio ineunte.

2. DE PROELIO NOTIENSI

Nunc veniendum est ad pugnam Notiensem, quam alio tempore commissam esse, atque Meyer Busoltque censent, quibus adhuc semper fere sum assensus, nonnullis de causis mihi persuasi. Ac primum quidem non solum
I, 5, 20 : I, 6, 1. Xenophon sed etiam Diodorus[7]) Cononem Callicratidamque ad naves venisse eadem fere paragrapho tradiderunt, ex quo efficitur, ut Cononem per totum annum contra Lysandrum rem gessisse, id quod credit Meyer,[8]) verisimile mihi non videatur. Deinde Lysander tanto temporis spatio
I, 6, 2 intermisso victoriam male iactasset. Neque vero desunt certa testimonia. Lysiae locum iam pridem laudavit

[1]) Meyer l. c. IV p. 618. — [2]) Busolt, Gr. Gesch. III, 2 p. 1531. — [3]) p. 14. — [4]) p. 16. — [5]) p. 16. — [6]) Börner l. c. p. 28. — [7]) Diod. XIII, 76, 1 : 2. — [8]) Meyer l. c. IV p. 633 : 636 : 639.

Herbst,[1]) quo scripta sunt haec:[2]) *ἔπειτ' οἴομαι ὑμᾶς εἰδέναι ὅτι Ἀλκιβιάδης τέτταρα ἢ πέντε ἔτη ἐφεξῆς ἐστρατήγει.* Itaque cum quadringentorum dominatio constitueretur mense Thargelione Callia archonte, id est primis Iunii diebus 411,[3]) Alcibiades ab exercitu dux est creatus non ante mensem Iunium eiusdem anni imperiumque ei est abrogatum non ante mensem Iunium 407. Adde[4]) testimonium Callistrati in scholiis ad Aristophanis ranas memoriae proditum,[5]) quo Alcibiadem Antigene archonte 407 6 in exsilium isse cognoscimus, id quod fecit brevi post cladem Notiensem.

Neque tamen hic possum silentio praeterire sententiam eorum, qui putant Alcibiadem collegasque eius haud ita honore esse motos quam ordinariis comitiis vere aut 407 aut 406 factis repulsam tulisse ideoque proelium Notiense adscribunt primo veri aut 407 aut 406.[6]) Cuius rei testimonio usus sit quispiam loco Lysiaco:[7]) *καὶ οὕτω πολλὰ ἐνόμιζεν εἰς ὑμᾶς ἡμαρτηκέναι,* (scilicet *Ἀλκιβιάδης*) *ὥστε λέγειν δυνάμενος καὶ φίλων ὄντων καὶ χρήματα κεκτημένος οὐδέποτ' ἐλθὼν εὐθύνας ἐτόλμησε δοῦναι, ἀλλὰ φυγὴν αὑτοῦ καταγνούς κτέ,* quo de euthyna Alcibiadi post iustum imperii finem reddenda verba fecerit ille. Attamen Lysiam credo voce euthynae etiam extraordinariam illam ducis causam, in qua simili modo atque in euthyna se defenderet, significare potuisse, praesertim cum e re fuerit nomen eligere Alcibiadis periculum minime ostendens. Contra ex hoc loco elucet eo tempore, cum in exsilium abiret, illi diiudicandum fuisse, utrum fugere an domum redire mallet, neque igitur usque ad mensem Quintilem sui anni 407 6 imperium retinere ei licuit. Praeterea alio loco Lysias hac de re vocabulo *παύειν* est usus,[8]) Plutarchus *ἀποχειροτονεῖν*.[9])

---

[1]) Herbst, Die Schlacht bei den Arginusen. 1855 p. 86. — [2]) Lys. XIX, 52 (a Thalheimio post 47 collocatum). — [3]) Arist. Pol. Ath. 32, 1. — [4]) Müller l. c. p. 32. — [5]) Schol. Aristoph. ran. v. 1469 Dindorfii. — [6]) Müller l. c. p. 40. — [7]) Lys. XIV, 38. — [8]) Lys. XXI, 7. — [9]) Plut. Lys. 5.

Sed etiam ex Xenophontis verbis idem possumus intellegere.
I, 5, 16 Nam postquam decem novos duces nominavit, brevi postea
I, 5, 20. haec dicit: *καὶ ταύταις ἀναγαγόμενος* (scilicet *Κόνων*) *μετὰ τῶν ἄλλων στρατηγῶν*. Quo loco quem creditis intellecturum esse alios imperatores nisi decem illos aut omnes aut partem? praesertim cum legerimus Alcibiadem ante proelium Notiense non alii duci sed Antiocho gubernatori naves
I, 5, 11. dedidisse, qua ex re alium iustum imperatorem omnino non adfuisse eo tempore suspicari possumus. Et conferenda sunt, quae Diodorus de trierarchis ipsis nullo duce ad proelium proficiscentibus scripsit.[1]) Itaque cum Cononi adsint alii, una cum ipso venisse eos verisimile videtur, et re vera brevi postea Leo Erasinidesque classi praesunt,
I, 6, 16. quos Xenophon *τῶν δέκα στρατηγῶν* fuisse scripsit. Hoc loco articulo, quem vocamus, apposito manifestum est eum ipsos illos supra enumeratos intellexisse illosque iam tum munere esse functos. Neque tamen apud Mytilenam dimicatum esse Antigene archonte 407/6 quisquam adhuc, ut credo, negavit. Praeterea Meyer populum Atheniensem, ut novae naves ornarentur, constituisse Antigene archonte, Callia archonte profectam esse classem sagacissime coniecit[2]) ex Hellanici atque Philochori[3]) testimoniis, ex quibus fortasse falsum illud de ipsa pugna in ranarum comoediae scholia[4]) fluxit, atque ex eis, quae Kirchhoff de argento templi Pronai a quaestoribus anni Antigenis Callia archonte hellenotamiis, qui vocabantur, dato disseruit.[5]) Itaque Antigene archonte classi praeerant decem illi: Alcibiadis collegae, scilicet
I, 4, 21; I, 5, 11. Adimantus et Thrasybulus, iam non adsunt, immo hic in
I, 6, 35. classe auxilio missa est trierarchus, quibus rebus elucere mihi quidem videtur eos ante muneris iustum finem ordine

[1]) Diod. XIII, 71, 3. — [2]) Meyer l. c. IV p. 643. — [3]) Schol. Aristoph. ran. v. 706, 732 Dind. — [4]) Schol. Aristoph. ran. v. 33 Dind. — [5]) Kirchhoff, Bemerkungen zu den Urkunden der Schatzmeister „der anderen Götter". Philologische und historische Abhandlungen der Kgl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin 1864, p. 51–55.

esse motos. Atque hoc fieri potuit et vere 406 et autumno praeeunte neque ullius est momenti ad tempus pugnae Notiensis definiendum. Cuius aliud exstare argumentum nego, nisi quod verbis Xenophontis: *Κόνων δ' ἐπεὶ* I, 5, 20. *εἰς τὴν Σάμον ἀφίκετο καὶ τὸ ναυτικὸν κατέλαβεν ἀθύμως ἔχον, συμπληρώσας τριήρεις ἑβδομήκοντα ἀντὶ τῶν προτέρων, οὐσῶν πλέον ἢ ἑκατόν, καὶ ταύταις ἀναγαγόμενος μετὰ τῶν ἄλλων στρατηγῶν, ἄλλοτε ἄλλῃ ἀποβαίνων τῆς τῶν πολεμίων χώρας ἐλῄζετο* maius temporis spatium indicari arbitror, hiemem dico totam vel maiorem eius partem. Accedit, quod Alcibiadem Lysandrumque, peritissimos belli duces atque strenuos, per totum annum eadem regione classes tenentes numquam aut mari aut terra dimicasse vix puto, quibus rebus commotus proelium Notiense hiemi ineunti 407 tribuerim.

Restat, ut de Alcibiadis Lysandrique ad bellum profectione pauca addam. Nam adeo ab Haackio,[1]) qui cum omnes fere habet assentientes tum Meyerum[2]) Busoltiumque,[3]) dissentio, ut Peteri sententiam nullis quidem causis adiectis prolatam[4]) laudem utrumque vere 407 patria esse egressum arbitrati. Quam refellere iam pridem conatus est Mueller. Ac primum quidem Cyro non tanto temporis spatio opus fuisse, ut ab eo loco, quo Atheniensium legatis obviam esset factus vere 408, Sardes perveniret, coniecit,[5]) ad- I, 4, 2. venisse enim eum, postquam Lysander Ephesum classem appulisset. At unde Mueller illum recta via Sardes iter I, 5, 1. fecisse cognovit? Nonne praefectus erat non solum Lydiae, sed etiam Cappadociae atque Phrygiae,[6]) quarum in urbibus illum versatum esse, priusquam in Lydiam perveniret, verisimile videtur.[7]) Atque si re vera autumno 408 Sardes se contulit, tamen vere ineunte provinciae suae visendae

[1]) Haacke l. c. p. 7 (XL). — [2]) Meyer l. c. IV p. 632/4. — [3]) Busolt, Gr. Gesch. III, 2 p. 1566. — [4]) Peter, Commentatio critica de Xenophontis Hellenicis 1837 p. 56. — [5]) Müller l. c. p. 31. — [6]) Xen. Anab. I, 9, 7. — [7]) Busolt, Gr. Gesch. III, 2 p. 1569[2].

causa urbe potuit excedere. Deinde quae de Cratesippidae nauarchia scripsit[1]) Mueller, praetermitto neque multa disseram de eo, quod Ioniam tam diu ab Atheniensibus esse neglectam non potest comprobare,[2]) quoniam Athenienses nullam classem memoria dignam in Ionia utrum tenuerint inde ab autumno 410 usque ad autumnum 408 an usque ad veris 407 initium, haud magni est momenti. Ne illud quidem Muellero concedo Alcibiadem per totam hiemem male Athenis remansisse,[3]) civium enim animos melius sibi potuit reconciliare praesens quam absens, quo cognito inimici illum quam celerrime proficisci valde cu-
I. 5, 10. piebant.[4]) Neque vero censebimus in verbis *καὶ ὁ μὲν Λυσανδρος, ἐπεὶ αὐτῷ τὸ ναυτικὸν συνετέτακτο, ἀνελκύσας τὰς ἐν τῇ Ἐφέσῳ οὔσας ναῦς ἐνενήκοντα ἡσυχίαν ἦγεν* hiemem 408/7 latere, id quod affirmat Unger,[5]) quoniam vocabulis *μέν δε*que coniuncta sunt cum pugna Notiensi, quam post aestatem 407 factam esse supra[6]) demonstravimus. Quibus abiectis nunc equidem quaero, num sit verisimile utramque
I. 4, 11 : 21. classem refectam[7]) hieme ineunte ad bellum esse profectam tempore ad navigandum iniquissimo, quamquam utraque civitas iam diu pecuniis caruit, quibus ad copias per hiemem prope ab hostibus alendas opus erat? Praeterea Xenophon post Eleusinia medio mense Boedromione, id est postremis Septembris aut primis Octobris diebus, facta
I. 4, 21. classem Athenis conscriptam esse aperte tradit, quare certe ante medium mensem Novembrem parata non erat, etsi postridie post mysteria celebrata delectus haberi est coeptus, quoniam totidem fere naves Athenienses postea ornasse XXX
I. 6, 24. diebus scriptori dignum videbatur, quod commemoraret. Verum hic cum nulla de celeritate verba fecerit, expeditionem veris insequentis hieme diligenter non festinanter

[1]) Müller l. c. p. 31. — [2]) Müller l. c. p. 32. — [3]) Müller l. c. p. 31. — [4]) Plut. Alc. 35. — [5]) Unger l. c. p. 261. — [6]) p. 19. — [7]) Diod. XIII, 70, 1.

esse praeparatam censeo. Dixerit quispiam Lysandrum non tam ad bellum gerendum quam ad Cyrum reconciliandum in Asiam venisse, cui rei celeritate opus fuisset. At hoc si erat, solus classe relicta Sardes ire potuit, bellum navale redintegratum esse vere ineunte quam hieme verisimilius mihi videtur. Nam verba Xenophontis *μετὰ τὸν* I, 4, 21.
κατάπλουν τρίτῳ μηνὶ ἀνήχθη ἐπ' Ἄνδρον sunt corrigenda, quoniam eis, quae ipse scriptor de Plynteriis Eleusiniisque quattuor mensibus inter se distantibus tradidit, repugnant. Facillime autem ⌈ oriri potuit ex |, ut Alcibiades decimo mense, postquam Athenas venerit, abierit, id est mense Aprili 407.

3. DE ARACO NAUARCHO

His pauca adiciam de Araco. Diodorus enim a Xenophonte dissentit, cum socios Lacedaemonem legatos misisse Lysandrumque privatum classi praefectum esse ante Atheniensium duces capitis damnatos memoriae prodiderit.[1]) Quem rerum ordinem Boerner laudat[2]) necessario novum nauarchum creatum esse ante aequinoctium arbitratus. Qua de re tantum abest, ut certi quid constet, ut eius ipsius enucleandae causa, utri scriptori maior fides sit danda, diligentissime debeamus quaerere. Atque Xenophon legationem illam artissime conexuit cum seditione militum oppressa his verbis: *μετὰ τὲ ταῦτα οἵ Χῖοι καὶ οἱ ἄλλοι* II, 1. 6.
σύμμαχοι συλλεγέντες εἰς Ἔφεσον ἐβουλεύσαντο περὶ τῶν ἐνεστηκότων πραγμάτων πέμπειν εἰς Λακεδαίμονα πρέσβεις ταῦτά τε ἐροῦντας καὶ Λύσανδρον αἰτήσοντας ἐπὶ τὰς ναῦς. Qui tumultus ut exoreretur, ipsa hieme est perfectum, itaque II, 1, 1.
errat Boerner, cum dicat[3]) solis in verbis *μετὰ δὲ ταῦτα* neglegentiam Xenophontis inesse. Contra Diodorus vocibus *νόμον ἔχοντες δὶς τὸν αὐτὸν μὴ πέμπειν*[4]) et brevi infra *τὸν*

[1]) Diod. XIII, 100, 7. — [2]) Börner l. c. p. 34. — [3]) Börner l. c. p. 34. — [4]) Diod. XIII, 100, 8.

δὲ Λύσανδρον ἰδιώτην αὐτῷ συνεξέπεμψαν ineptissime est usus, nam Lysander iterum mittitur, sed mittitur *ἐπιστολεύς* non privatus. Neque vero socios uno statim mense post Callicratidam mortuum de Lacedaemoniorum duce atque militibus esse conquestos verisimile mihi videtur, sed eos, ut legatos mitterent, eo commotos esse puto, quod per magnum temporis spatium Lacedaemonii segnius gererent bellum, fortasse etiam eo, quod Aracus nauarchus aut factus
II, 1, 6. aut designatus esset, non Lysander; Xenophontis enim verbis
II, 1, 7. *καὶ Λύσανδρον αἰτήσοντας ἐπὶ τὰς ναῦς* aut *οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι ἔδοσαν τὸν Λύσανδρον ὡς ἐπιστολέα, ναύαρχον δὲ Ἄρακον* nescio an non cogamur credere Aracum tum demum creatum esse, quamquam Diodorum[1]) atque Plutarchum[2]) hoc perspicuis verbis referre concedo. Conferendus enim est locus Thucydideus,[3]) quo legimus: *ἄρχοντα Ἀλκίδαν, ὃς ἦν αὐτοῖς ναύαρχος, προστάξαντες.* Denique si celeritate opus erat Lysanderque mense Septembri sociis adhortantibus *ἐπιστολεύς* erat electus, cur non eodem autumno sed vere insequente ad classem est profectus, id quod apparet ex
II, 1, 10. Xenophontis historiis, latet in Diodori bibliotheca?[4]) Itaque hic a Boernero stare non possum.

4. DE PHARACE NAUARCHO

Quibus rebus absolutis priusquam in universum de nauarchis verba faciam, de Pharace Mnasippoque quid sentiam, necesse est brevi exponam. Atque de illo valde dissentiunt viri docti in iisque nuperrime Meyer et Beloch.
III, 2, 12. Et quoniam a Xenophonte atque a Diodoro[5]) perpauca traduntur de Pharace, maxime certatur de loco Isocratis, quo scripsit haec[6]): *ἐν δὲ τῷ πολέμῳ τῷ περὶ Ῥόδον ἔχων μὲν τοὺς Λακεδαιμονίων συμμάχους εὔνους διὰ τὴν χαλεπότητα*

[1]) Diod. XIII, 100, 8. — [2]) Plut. Lys. 7. — [3]) Thuc. III, 26, 1. — [4]) Diod. XIII, 104, 3. — [5]) Diod. XIV, 79. 4—5. — [6]) Isocr. IV, 142.

τῶν πολιτειῶν, χρώμενος δὲ ταῖς ὑπηρεσίαις ταῖς παρ' ἡμῶν, στρατηγοῦντος δ' αὐτῷ Κόνωνος, ὃς ἦν ἐπιμελέστατος μὲν τῶν στρατηγῶν, πιστότατος δὲ τοῖς Ἕλλησιν, ἐμπειρότατος δὲ τῶν πρὸς τὸν πόλεμον, τοιοῦτον λαβὼν συναγωνιστὴν τρία μὲν ἔτη περιεῖδε τὸ ναυτικὸν τὸ προκινδυνεῦον ὑπὲρ τῆς Ἀσίας ὑπὸ τριήρων ἑκατὸν μόνων πολιορκούμενον, πεντεκαίδεκα δὲ μηνῶν τοὺς στρατιώτας τὸν μισθὸν ἀπεστέρησεν, ὥστε τὸ μὲν ἐπ' ἐκείνῳ πολλάκις ἂν διελύθησαν, διὰ δὲ τὸν ἐφεστῶτα καὶ τὴν συμμαχίαν τὴν περὶ Κόρινθον συστᾶσαν μόλις ναυμαχοῦντες ἐνίκησαν. Constat inter omnes bellum apud Rhodum gestum idem esse atque bellum navale inter regem Persarum Lacedaemoniosque exortum annis inde a 397 aut 396 usque ad 394 aut 393. Agitur de tribus illis annis, utrum intellegat orator totum bellum an partem. Et pugnam Cnidiam finem esse belli apud Rhodum gesti manifestum est, atque Iudeich illos quoque tres annos terminari eodem proelio contendit[1]) verbis credo inde ab *ὥστε τὸ μὲν ἐπ' ἐκείνῳ* usque ad *μόλις ναυμαχοῦντες ἐνίκησαν* commotus. Sed quamquam haec coniungenda sunt cum toto loco, tamen artissime cohaerent cum eis, quae continuo praecedunt de stipendio militibus per XV menses non dato dicta, et huius quidem spatii finem perspicue indicatum esse a Diodoro arbitror, cum scriberet[2]): *ὁ δ' Ἀρταξέρξης ἐπαινέσας αὐτὸν καὶ δωρεαῖς μεγάλαις τιμήσας συνέστησε ταμίαν τὸν χορηγήσοντα χρημάτων πλῆθος ὅσον ἂν προστάττῃ Κόνων.* Rediit autem Conon Susis aestate exeunte 396 eodem fere tempore, quo in Asiam est missus Tithraustes, nam per eum Conon cum rege Persarum collocutus[3]) effecit, ut Tissaphernes morte puniretur, succederet Tithraustes. Quare quoniam XV illi menses annuo fere spatio ante pugnam Cnidiam sunt finiti, profligata est Iudeichii sententia, qua credit tres Isocratis annos eodem proelio habere finem. Accedit, quod bellum

[1]) Iudeich, Kleinasiatische Studien (1892) p. 54[1]. — [2]) Diod. XIV, 81, 6. — [3]) Nepos, Conon 3, 2.

navale est coeptum VIII mensibus post *διαβάσαν* ineuntem
III. 2. 10–12. anni 398, antequam maturesceret frumentum mense fere
III. 2. 17 Martio vel Aprili 397, quo Pharaci, ut Cariam navibus ag-
III. 2. 12. grederetur, a Lacedaemoniis est mandatum. Neque enim
III. 4. 1 recte Meyer aliis Xenophontis verbis adhibitis, quo tempore Herodas quidam in Phoeniciam magnam Persarum classem contrahi ephoris nuntiaret, Conenem cum navibus XL[1]) contra Pharacem pugnavisse negavit,[2]) quoniam non eo, quod omnino classis compararetur a Persis, sed quod tantus navium numerus conveniebat, perterriti sunt Lacedaemonii. Itaque Isocrates, si bellum usque ad pugnam Cnidiam voluisset comprehendere, ad tarditatem regis vituperandam de quattuor annis 397, 396, 395, 394 verba fecisset, non de tribus 396, 395, 394. Atque postquam facta sunt, quae Diodorus narrat loco modo citato,[3]) regem neglexisse classem dicere minime potuit Isocrates, quare multo melius cum Belochio illorum quoque trium annorum terminum esse aestatem 395,[4]) qua Conon magnis pecuniis praeditus rediret, contendemus ita, ut tres anni sint 397, 396, 395. Sed exstant alia illius verba de hoc bello navali in oratione, quam inscripsit Euagoram.[5]) Ne hic quidem Meyerum laudo: quomodo enim dicere potuit idem scriptor de eisdem annis[6]) et ea, quae modo tractavimus, regem Persarum bello minus studuisse, et haec[7]: *καὶ Λακεδαιμονίων μὲν τῶν καὶ δόξαν καὶ δύναμιν μεγίστην ἐχόντων κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐντὸς τριῶν ἐτῶν ἀφείλετο τὴν ἀρχήν*, scilicet rex Persarum? Praeterea tota fere aestate 393 classem Persicam in mari Aegaeo atque ad ipsas Laconicae oras rem gerentem in-
IV. 8. 7 s. venimus, hoc igitur imprimis anno imperium Lacedaemoniorum exstinxit Conon. Itaque falso Meyer hic quoque illos tres annos 396, 395, 394 intellegere oratorem putat,

---

[1]) Diod. XIV, 79, 5. — [2]) Meyer l. c. V p. 209. — [3]) p. 25. — [4]) Beloch, Die Nauarchie in Sparta. Rheinisches Museum XXXIV p. 124. — [5]) Isocr. IX, 64. — [6]) Meyer l. c. V p. 209.

sed interpretabimur annos 395, scilicet ab eo temporis puncto, quo rex strenue bellare constituit, id est a prima vel a media aestate, et 394 et 393, ergo etiam hoc loco bellum navale neglegere desiit rex aestate 395.

Iam redeundum est ad Pharacem, quem classem Persicam Cononemque obsedisse Cauni a Diodoro est traditum.[1]) Hoc tribuere anno 396 non iam cogimur, sicut Meyer,[2]) quoniam anno 397 quoque mari dimicatum esse comprobavimus. Sed Iudeich aliis de causis assignavit ea anno 395. Indutiis a Dercylida atque Agesilao cum Pharnabazo Tissapherneque factis Pharacem quoque dicit,[3]) ne rem gereret, esse impeditum inde a prima aestate 397 usque ad aestatem 396. Sed hoc falsum est. Nauarchum enim minime subiectum fuisse illi, qui terrestribus copiis praeesset, ex eo videmus, quod brevi postea Agesilaum regem navalibus quoque rebus praepositum esse quasi inauditi quid pronuntiatur a Xenophonte. Atque perspicue traditur imperatores inter se tantum esse pactos, dum cum magistratibus suis de pacis condicionibus egissent. Diodori autem rerum ordine male est usus Iudeich,[3]) quoniam credi vix potest uno anno accidisse omnia ea, quae tribuit Siculus[4]) eodem anno 396/5: Cononem Cauni obsessum atque liberatum esse, Rhodum cepisse, deinde novam classem collegisse, denique ad regem profectum esse atque redisse. Et cum re vera reverterit aestate 395, quae antea fecit, prioribus annis sunt assignanda. Quibus rebus expositis neminem puto pro certo affirmare posse Caunum obsessum esse anno 396 aut 395, non 397, neque Pharacem diutius quam annum nauarchum fuisse concedo.

III, 2, 20; III, 4, 5. III, 4, 27. III, 2, 20.

Hic liceat mihi brevi proferre, quibus temporibus singulas res bello navali gestas adscripserim, quoniam et a Meyero et a Belochio nonnihil dissentio. Vere 397

---

[1]) Diod. XIV, 79, 5. — [2]) Meyer l. c. V. p. 207. — [3]) Judeich l. c. p. 631. — [4]) Diod. XIV, 79, 4—81, 6.

III, 2, 12. Pharax bellum orsus Rhodum, inde Sasanda, inde Caunum navigat,[1]) quo cum ante mensem Maium advenisse nego, cum octo mensibus post ὁπώραν ineuntem Lacedaemonii,
III 2, 11: 12 ut bellum inferrent Cariae, nondum decrevissent. Propterea cum Belochio non consentio, qui arbitratur[2]) Cononem obsessione liberatum esse a Pharnabazo, antequam hic cum
III, 2 13–20. Tissapherne profectus esset contra Dercylidam, quocum indutias fecerunt mense Maio. Tum Pharnabazus Caunum venit Pharacemque depulit[3]) aestate, quo facto Conon classem parari instituit. Primo vere 396 colliguntur naves
III, 4, 1 16: 20. in Phoenicia, id quod Herodas nuntiat Lacedaemoniis, qua re commoveor, ut illas naves, quas LXXX fuisse tradit Diodorus,[4]) non post aestatem eiusdem anni 396 adfuisse credam; nec non obstat ille, cum hoc ante Agesilai alteram contra Tissaphernem expeditionem vere 395 factam narret.[5]) Itaque Rhodii Cononem urbe recipiunt aestate 396, non hieme insequente, sicut censet Meyer,[6]) quasi vero naves illas frumentarias, quae brevi post ex Aegypto advectae a Persis sunt captae,[7]) hieme exeunte advenisse sit verisimilius quam aestate post messem factam tempore ad navigandum maxime idoneo. Cui sententiae optime congruunt, quae de stipendio militibus non dato leginus apud Isocratem.[8]) Nam si classis a Phoenicia Rhodum venit media aestate 396, prima eius parte milites navales sunt conducti. Inde usque ad Cononis reditum, scilicet aestatem mediam vel exeuntem anni insequentis 395, habemus illos XV menses, quibus pecunia carebant. Tum Conon strenue rem gerere potest, qua re perterriti Lacedaemonii Agesilao, ut navalibus
III, 4, 27. quoque rebus studeret, nuntiant.

---

[1]) Diod. XIV, 79, 4—5. — [2]) Beloch, Griech. Gesch. II p. 145. — [3]) Diod. XIV, 79, 5. — [4]) Diod. XIV, 79, 8. — [5]) Diod. XIV, 80, 1. — [6]) Meyer l. c. V p. 209. — [7]) Diod. XIV, 79, 7. — [8]) Isocr. IV, 142.

5. DE MNASIPPO NAUARCHO

Satis multa de Pharace. Sequitur Mnasippus. Duas habemus de eius Timotheique factis memorias Xenophontis atque Diodori minime inter se congruentes. Atque ille tradit haec: Legati Atheniensium pace Lacedaemone facta VI. 2. Timotheo mandaverunt, ut domum rediret. Qui cum exsules Zacynthiorum adiuvisset, conquesti sunt apud Lacedaemonios Zacynthii, quo factum est, ut Mnasippus nauarchus proficisceretur cum classe in mare Ionicum Dionysioque, qui auxilium peterent, mitterentur. Deinde Corcyraei a Mnasippo obsessi Athenienses adierunt, qui statim Stesiclem cum DC leviter armatis Corcyram ire iusserunt classemque comparare instituerunt. Sed Timotheus, quod multum temporis in navibus ornandis contrivit, loco est motus imperiumque datum est Iphicrati, quo profecto Mnasippus Corcyrae victus atque interfectus est. Contra apud Siculum invenimus haec:[1]) Postquam Zacynthiorum legati Lacedaemonem venerunt, Aristocrates cum XXV navibus Zacynthum abiit, eodemque tempore Alcidas cum navibus XXII a Corcyraeorum factione arcessitus eorum urbe potiri conatur, quo facto Corcyraei illo repulso ab Atheniensibus auxilium petunt. Hi statim Ctesiclem Zacynthum mittunt classemque ornandam decernunt, cui dux praeficitur Timotheus. Qui dum in Thracia rem gerit, Mnasippus Lacedaemone Corcyram est profectus. Deinde Timotheo imperium abrogatur, sed brevi postea restituitur, Ctesicles cum D militibus Corcyram pervenit. Denique Mnasippo mortuo classis Atheniensium proficiscitur.

Summa scriptorum discrepantia est ea, quod in Hellenicis legimus Mnasippum naves solvisse prius atque Timotheum et ita quidem, ut illius in Corcyram adventu nuntiato Athenienses classem auxilio mittendam constituerent, cum

[1]) Diod. XV. 45—47.

Diodorus aperte tradat Timotheum multo antea esse devectum. Mnasippi enim victoria narrata pergit ita: *Ἀθηναῖοι δὲ καὶ πολλὰ μὲν ἀπεστράτευσαν Τιμόθεον τὸν Κόνωνος ἐπὶ βοηθείαν τοῖς Κορκυραίοις, . . . οὗτος . . . τότε δὲ παίοντας τῆς τῶν Κορκυραίων συμμαχίας τὸ μὲν πρῶτον ἀπεβαλε τὴν στρατηγίαν.*[1] Qua in dissensione auctorum cum alii multi tum Meyer[2]) Belochque[3]) Diodorum secuti contemnunt Xenophontem, sed tamen uterque Timotheum una cum Iphicrate navibus praetuisse, id quod narrat Siculus,[4]) falsum esse putat. Ne Schaefer quidem, qui Diodori memoriae servandae causa bis accusatum esse Timotheum contendit, illius verba sic, ut tradita sunt, accipere potest.[5]) De causa enim Timothei nonnulla intellegimus ex Pseudo-Demosthenis in Timotheum oratione, unde litem actam esse mense Maemacterione Asteio archonte,[6] id est Novembri vel Decembri 373, Timotheum mense Thargelione eodem archonte, id est Maio vel Iunio 372, ad regis Persarum exercitum iter fecisse[7]) videmus. Praeterea Iphicratem, dum causa indicatur, Athenis fuisse ex eadem oratione apparet,[8]) qua re docemur eum post mensem Novembrem 373 in locum Timothei vel una cum eo restituto ducem classis esse factum.

Nam errat Stern, cum dicat Timotheum loco esse motum mense Iunio 373.[9] Xenophontis credo verba non
VI. 2. 13. recte interpretatus, qui tradit illum consumpsisse *τὸν τῆς ὥρας εἰς τὸν περίπλουν χρόνον*. *ὥρα* saepissime significare 'ver' concedo, tamen prima eius vis est 'tempus anni' et aliquotiens occurrit *ὥρα χειμῶνος*. Itaque ubicumque addidamento quodam, sicut hoc loco *εἰς τὸν περίπλουν*, accu-

---

[1]) Diod. XV, 47, 2. — [2]) Meyer l. c. V p. 400, 403. — [3]) Beloch, Die attische Politik seit Perikles (1884) p. 359. — [4]) Diod. XV, 47, 7. — [5]) Schäfer, Demosthenes und seine Zeit I² p. 60 (1885). — [6]) Demosth. XLIX, 22. — [7]) Demosth. XLIX, 25—28. — [8]) Demosth. XLIX 9, 13. — [9]) Stern, Geschichte d. spartanischen u. thebanischen Hegemonie vom Königsfrieden bis zur Schlacht bei Mantineia. Dorpat 1884. p. 112.

ratius definitur tempus, vox ὥρα vim habet non singularem sed communem. Quamobrem quoniam ὁ τῆς ὥρας εἰς τὸν περίπλουν χρόνος omnis est annus excepta hieme, huic quoque Xenophontis loco convenit Timotheum usque ad autumnum 373 fuisse imperatorem. Hieme autem classem profectam esse nemo putabit, itaque cum verisimillimum sit vere 372 Iphicratem naves solvisse, fieri vix potuit, ut Timotheus una cum illo classi Atheniensium praeesset mense fere Aprili, Iunio ineunte ad regem Persarum iter faceret.

Inveniuntur igitur apud Diodorum, quae vera esse non possunt, sed etiam alia suspicionem movent. Eum si sequimur, Stesicles vere fere 373 Zacynthum mittitur,[1] ut exsulibus esset dux, tum D cum militibus Corcyram venit,[2] atque cum scripserit Diodorus στρατηγὸν ἑλόμενοι . . . ἐξέπεμψαν, cum profectum esse arbitramur Athenis, praesertim cum Zacynthi non adfuerint milites D. Quod si est, necesse est credamus illum Aristocrate eiusque navibus XXV victis Athenas revertisse, neque enim creatus esset statim dux auxiliorum, nisi re bene gesta redisset. Qua de victoria nihil omnino legimus apud Diodorum, contra Xenophon Zacynthiorum naves enumerat in classe Mnasippi. Quid? VI. 2, 3. quod Corcyraei brevi ante ab Alcida Lacedaemonio paene oppressi auxilio ab Atheniensibus petito VII tantum triremibus portum custodiunt, cum advenit Mnasippus?[3] Nec vero non mirum est, quod Alcidas Corcyraeis persuadere conatur se cum navibus XXII in Siciliam vehi,[4] quamquam eo tempore pax erat illa in insula. Qui numerus navium maior erat, quam ut urbe clam potiri Alcidae contingeret. Accedit, quod eodem modo atque de Aristocrate nihil postea de Alcida aut de navibus eius aut de bello ab eo Corcyraeis illato comperimus. Multoque facilius, si

[1]) Diod. XV, 46, 3. — [2]) Diod. XV, 47, 4. — [3]) Diod. XV, 47, 1. — [4]) Diod. XV, 46, 2.

Xenophontem sequemur, intellegemus, quo consilio usus sit Timotheus. Quomodo enim Diodorus comprobaverit eum, qui insulas Ionicas Atheniensibus reconciliavisset, qui ipse Zacynthi bellum redintegravisset, qui cum LX navibus contra XXII Alcidae eadem regione bellum gerere esset iussus, tamen cum in Thracia versaretur, Corcyram neglegeret, gloriam suam in illo mari captam summum in periculum adduxisse? Quanto melius Xenophon cum veritum,
VI, 2, 12. ne temere, εἰκῇ, classe non satis ornata aggrederetur Mnasippi naves LX exercitatas, *ἀγχιβροτημένας ναῦς*, eoque omnia, quae antea esset adeptus, in discrimen vocaret, in mari Aegaeo moratum esse tradit.

Quibus causis commotus equidem, quae Xenophon tradidit, praeferam Diodoro huiusque verbis illius memoriam augendam esse, non corrigendam puto. Atque cum Siculum falso narrare Timotheum bis classi esse praefectum constet, cumque verisimile sit Stesiclem quoque non bis sed semel Athenis missum esse, ne classes Lacedaemoniorum quidem duas Corcyram aggressas esse arbitror, id quod credit Stern,[1] sed eodem errore implicitum Diodorum tria facta, quae semel accidissent, bis narravisse. Alcidas fortasse re vera navigavit in Siciliam ad Dionysium, cui nuntium
VI, 2, 4. missum esse Xenophon quoque auctor est. Quod cum apud Diodorum inveniamus Siciliae mentionem fieri, cum Alcidas proficisceretur,[2] Stesiclem ut mitterent, eodem tempore decrevisse Athenienses, quo classem parari constituerent,[3]
VI, 2, 4; 10-11. verus rerum ordo in Hellenicis servatus indicatur. At cur tot viri docti Siculum anteponebant? Eadem de causa credo et alios multos et Meyerum id fecisse, quam Beloch perspicue pronuntiavit,[4] quod Mnasippus nauarchus fieri nisi media aestate 373 non potuisset. Ex oratione enim illa in Timotheum habita hunc mense Munychione Socra-

[1]) Stern l. c. p. 103. — [2]) Diod. XV, 46, 2. — [3]) Diod. XV, 46, 3. — [4]) Beloch, Att. Pol. p. 360.

tida archonte,[1]) id est Aprili vel Maio 373, iam fuisse Piraei, ut solveret naves, videmus; itaque Mnasippus non media aestate sed antea, fortasse vere 373, suscepit imperium navium, tenuit usque ad mortem, quam obiit, dum Iphicrates vere 372 Athenis profectus ad Sphagias in Laconica sitas moratur, sicuti Lysandrum classi praefuisse VI, 2. 31. inde a vere 407 usque ad ver 406 supra comprobavimus.[2])

Neque tamen possum assentiri Sieversio,[3]) qui et Xenophontem et Diodorum sequi conatus est, cum credat Mnasippum Corcyram venisse aestate 374. Nam cum tradat scriptor annis 376 atque 375 Thebanos Boeotiae urbes in potestatem suam redegisse, incursionem in Phocios factam V, 4, 63. assignandam esse anno 374 ab omnibus conceditur. Itaque VI, 1, 1; 2, 1. etsi primo vere bellum est illatum Phociis, tamen Cleombrotus rex Lacedaemoniorum cum quattuor moris sociis quoque conscriptis ante mensem Maium exeuntem adesse vix potuit. Neque antea pax est conclusa, quoniam eam narravit Xenophon non sub finem libri quinti sed hoc loco VI, 2, 1. post bellum in Phocide gestum. Pacem ergo fecerunt Athenienses vix ante mensem Iunium exeuntem, tum Timotheus redire iussus Zacynthiorum exsules adiuvit, quo nuntiato Lacedaemonii LX naves comparandas esse decreverunt, certe non ante mensem Quintilem exeuntem. Quam classem ornatam atque contractam fuisse ante mensem Septembrem nego neque igitur profectam esse eam aestate 374 mihi persuasi. Utrum aggressus sit Mnasippus Corcyram autumno 374 an vere 373 certis causis quamquam disceptare non possum, tamen hoc veri 373 tribuo, quia Corcyraeos, quippe qui non essent urbe egressi contra Mnasippum neque se solos copiis illius pares esse futuros speravissent, statim post adventum hostium legatos misisse credo ab Atheniensibus auxilium petituros. Qui si venissent

[1]) Demosth. XLIV, 6. — [2]) p. 21. — [3]) Sievers, Geschichte Griechenlands vom Ende des peloponnesischen Krieges bis zur Schlacht bei Mantineia p. 229, 390. (1840).

autumno 374. Athenienses minime neglegendas esse preces
VI 2, 10. sociorum arbitrati Timotheum usque ad mensem Maium anni insequentis classe nondum parata Athenis remanere vix essent passi. Praeterea Dionysius tyrannus, si autumno 374 advenissent Lacedaemoniorum legati, vere 373 auxilium misisset, non 372. Neque silentio praetermittendum esse puto Xenophontem, cum de Peloponnesiorum classe ornanda taceret verba, usum esse imperfecto, quod
VI 2, 3. nominatur, tempore: *οἱ Λακεδαιμόνιοι αὖθις τε ἐμέλλοντο τοὺς Ἀθηναίους καὶ ναυτικὸν πολὺν κατασκευάζον καὶ ἀνεπείθοντο εἰς ἑξήκοντα ναῦς*, deinde nonnullis intermissis bellum ipsum coepisse his: *καὶ ὁ μὲν δὴ Μνάσιππος, ἐπεὶ ἀπῆλθεν, αὐτῷ τὸ ναυτικὸν*. Conferenda est expeditio Alcidae prioris, quam decretam esse aestate exeunte 428 narravit[1]) Thucydides eisdem fere vocabulis *παρεσκεύαζον* et *κατὰ πόλεις ἐπήγγελλον*, missam esse vere insequente 427 postea tradidit.[2]) Quibus de causis bellum Phocicum, de quo infra pauca addam, mensibus Maio atque Iunio assigno, pacem fere Quintili, novumque bellum decretum a Lacedaemoniis fere Octobri 374 exortum est primo vere vel hieme exeunte 373. Aprili mense ineunte Athenienses Stesiclem miserunt eodemque die classem ornandam esse constituerunt, quam ut contraheret a sociis, profectus est Timotheus Maio.

6. DE NAUARCHORUM TEMPORIBUS

Satis multum de singulis. Nunc in universum de nauarchis quaeramus. Ac primum quidem nauarchiam certum tuisse munus, neque omnes, qui navibus quibusdam Lacedaemoniorum aut sociorum praecessent, appellatos esse nauarchos ab omnibus concedetur. Hoc enim perspicuum est et ex eo loco, quem Boerner citavit — cuius sententiam, quam profert de nauarchia in dissertatione iam antea

[1]) Thuc. III, 16, 3. — [2]) Thuc. III, 26, 1.

laudata, rectam esse existimo. Aristotelis dico locum in altero Politicorum libro scriptum,[1] et ex lege intellegitur a Xenophonte tradita *οὐ γὰρ νόμος αὐτοῖς δὶς τὸν αὐτὸν ναυαρχεῖν*, et ex eo, quod nonnulli classium duces nominantur *ἐπιστολεῖς*. Etiam iustum fuisse atque ordinarium munus nauarchorum, id quod Dodwell initio duodevicesimi saeculi sensit, cum scriberet haec:[2] Itaque huius anni fuerit oportet nauarchus Pasippidas, omnes fere viri docti non negant. Soli Iudeich[3] atque Solari[4] Muellerum[5] secuti extraordinarium fuisse munus contenderunt arbitrati nauarchos, nisi opus eis fuisset, creatos non esse. Sed potestatem eorum, ubi primum negotium, quod eis esset mandatum, exsecuti essent, habuisse finem bene redarguit Boerner[6] Thucydidis locis citatis III, 26, 1:[7] *Ἀλκίδαν, ὃς ἦν αὐτοῖς ναύαρχος, προστάξαντες*, et VIII, 6, 5:[8] *καὶ τὸ μὲν πρῶτον δέκα τούτων αὐτοῖς ἔμελλον πέμψειν καὶ Μελαγχρίδαν, ὃς αὐτοῖς ναύαρχος ἦν.* Attamen si Iudeich aut Solari dixissent Lacedaemonios unicuique nauarcho, cum forte necessitate quadam adducti creassent quemque, certum muneris spatium assignasse, fortasse annum, neque priusquam totum imperii tempus esset peractum, illum mandato antea perfecto honore summotum esse, talia si dixissent, nullum scriptorum veterum locum haberem, quo ea refellerem. Itaque concedendum est, dummodo vera sint, quae singula ei protulerunt contra ordinem rationemque sive a Belochio sive a Boenero de his magistratibus inventam, nondum plane probatam esse Belochii aliorumque sententiam. At si omnibus, quaecumque de nauarchis tradita sunt, accurate adhibitis nihil certo cuidam ordini repugnare vide- II. 1, 7.

[1]) Arist. Polit. II p. 1271 a l. 37. — [2]) Dodwell l. c. p. 345. — [3]) Judeich l. c. p. 107. — [4]) Solari: La navarchia a Sparta e la lista dei navarchi. Annali della R. Scuola normale di Pisa. Filos. e filol. XIII (XX) 1899 p. 8. — [5]) Müller l. c. p. 28. — [6]) Börner l. c. p. 8. — [7]) non III, 12, ut scripsit Busolt, Gr. Gesch. III, 2 p. 1430. — [8]) non VIII, 62, ut scripsit Busolt l. c. p. 1430.

bimus, hunc certe eis, quae modo Iudeichio atque Solario supposuimus, praeteremus, quoniam nisi necessitate coacti non credemus magistratus ullos creatos esse eo tantum tempore, quo ad certam provinciam suscipiendam opus esset eis, neque tamen aut illo opere perfecto munere se abdicasse aut in officio mansisse, dum mandatum ad finem perduxissent.

At Iudeich exempla attulit, quibus esset perspicuum nauarcho tempus et propagatum esse et minutum, Pharacem dicit et Ecdicum.[1]) De Pharace supra egimus.[2]) Ecdicum
VI, 8, 20, 23. vero, de quo perpauca apud Xenophontem verba exstant, tantum abest, ut ad nauarchiam iudicandam possimus adhibere, ut eius ipsius eorumque, qui eum sunt secuti, nauarchorum causa hanc totam quaestionem instituerimus. Nam quibus argumentis Iudeich comprobaverit Ecdicum eo ipso tempore, quo Rhodum esset missus, nauarchum creatum esse? Simili
IV, 8, 20. modo atque de illo Xenophon *ναύαρχον δὲ Ἔκδικον ἐπέστησαν*. Thucydides tradidit de Alcida loco supra citato haec: *ἄρχοντα Ἀλκίδαν, ὃς ἦν αὐτοῖς ναύαρχος, προστάξαντες*. Quae in universum disseruerunt Iudeich Solarique de Lacedaemoniis rem terrestribus copiis gerentibus navalisque belli imperitis, eis respondere supervacaneum puto, quia talibus pro argumento uti nemo potest, praesertim cum Beloch eodem iure ad nostram sententiam tuendam scripserit: 'Eine Flotte muß der Natur der Sache nach stehend sein.'[3]) Itaque conemur certam nauarchiae rationem constituere. Sed antequam ad propositum veniam, illud non est praetereundum, id quod Solarium maxime fugit, eos tantum locos nobis adhibendos esse, quibus navium duces re vera appellentur nauarchi, ac ne illos quidem omnes. Diodorum enim neglegamus necesse est, quoniam Lysandrum vere 405 nominat nauarchum,[4]) quem privatum a Lacedaemoniis missum esse cum Araco nauarcho brevi antea ipse tradiderit.[5])

[1]) Judeich l. c. p. 111. — [2]) p. 24. — [3]) Beloch, Rhein. Mus. XXXIV p. 118. — [4]) Diod. XIII, 104, 3. — [5]) Diod. XIII, 100, 8.

Quamobrem nisi cum certa, quam invenerimus, ratione congruet Diodori memoria, nauarchos, quos nominat, in eo officio fuisse non concedemus.

Ab Herodoto autem, Thucydide, Xenophonte, Plutarcho appellantur nauarchi hi:[1]) Eurybiades, Leotychides, Pausanias, Cnemus, Alcidas, Thrasymelidas, Melanchridas, Astyochus, Mindarus, Cratesippidas, Lysander, Callicratidas, Aracus, Libys, Samius-Pythagoras, Anaxibius, Polus, Pharax, Pisander, Eedicus, Hierax, Antalcidas, Teleutias, Pollis, Nicolochus, Mnasippus.

Primum quaerendum est, utrum plures fuerint uno tempore nauarchi necne. Atque praeter Iudeichium Solariumque omnes viri docti consentiunt numquam aut duos aut plures eodem tempore munere esse functos, illi contrariae sententiae argumenta se invenisse putant. Et Solari[2]) quidem Pharacem una cum Agesilao magistratum gessisse contendit. Sed Agesilaum ipsum omnino nauarchum non fuisse, quamquam hoc credit Beloch,[3]) et ex Xenophontis verbis apparet: *ὅτι δ' αὐτῷ ἐν τῷ πεδίῳ τῷ ὑπὲρ* III, 4, 27. *Κύμης ἔρχεται ἀπὸ τῶν οἴκοι τελῶν ἄρχειν καὶ τοῦ ναυτικοῦ ὅπως γιγνώσκοι καὶ καταστήσασθαι ναύαρχον ὅντινα αὐτὸς βούλοιτο,* et ex Plutarcho, qui illius verbis usus esse videtur, cum scriberet haec:[4]) *Καὶ καθ' ὁδὸν ὧν σκυτάλην δέχεται παρὰ τῶν οἴκοι τελῶν κελεύουσαν αὐτὸν ἄρχειν ἅμα καὶ τοῦ ναυτικοῦ . . . Τότε δὲ τοῦ ναυτικοῦ καταστήσας ἄρχοντα Πείσανδρον ἁμαρτεῖν ἔδοξεν, ὅτι πρεσβυτέρων καὶ φρονιμωτέρων παρόντων,* ipsi igitur regi nauarchiam suscipere minime licuit, . . . *ἐκείνῳ παρέδωκε τὴν ναυαρχίαν,* Alcidam autem alterum aut Aristocratem[5]) ne Diodorus quidem nauarchos nominat.[6])

[1]) Solari l. c. in appendice; Weber, De Gytheo et Lacedaemoniorum rebus navalibus, Heidelberg 1833, p. 86—90. — [2]) Solari l. c. p. 12. — [3]) Beloch, Rhein. Mus. XXXIV p. 125. — [4]) Plut. Ages. 10. — [5]) Solari l. c. p. 13. — [6]) Diod. XV, 45, 4; 46, 2.

Deinde et Solari[1]) et Judeich[2]) uno tempore duos nauarchos classibus praefuisse contendunt anno 401. Xenophon enim in libro de Cyri Anabasi primo Pythagoram nauarchum Cyro auxilio venisse classe Lacedaemoniorum tradit,[3]) contra in Hellenicis legimus Lacedaemonios Samio
III. 1. 1 nauarcho mandavisse, ut illi adesset. Praetereo Simonis coniecturam, qua censet[4]) in verbis *Σαμίῳ τῷ τότε ναυάρχῳ ἐπεστάλκει* idem esse *Σαμίῳ* atque *ἐν Σάμῳ ὄντι*, neque tamen assentior Judeichio, opinato[5]) Samium Cyri ipsius classi praepositum fuisse, cui sententiae et Xenophontis et Diodori verba valde repugnent. Scripsit ille
III. 1. 1. haec: *ἔχων γὰρ*, scilicet Samius, *τὸ ἑαυτοῦ ναυτικὸν σὺν τῷ Κύρου περιέπλευσεν εἰς Κιλικίαν*, hic ita:[6]) *ὁ δὲ Σάμιος εἶχε μὲν τριήρεις εἴκοσι καὶ πέντε, μεθ' ὧν πλεύσας εἰς Ἔφεσον πρὸς τὸν Κῦρον ναύαρχον ἕτοιμος ἦν αὐτῷ πάντα συμπράττειν . . . ἀφῆγεῖτο δὲ τοῦ βαρβαρικοῦ στόλου Ταμώς, ἔχων τριήρεις πεντήκοντα πολυτελῶς ἐξηρτυμένας· καὶ καταπλευσάντων τῶν Λακεδαιμονίων ἀνήχθησαν οἱ στόλοι τον πλοῦν ὡς ἐπὶ Κιλικίας ποιούμενοι.* Itaque duas classes habemus alteram Lacedaemoniorum Samio duce, alteram Cyri Tamo duce, utraque Epheso ad Ciliciam circumvehitur. Samius autem suae classi solus
III. 1. 1. praecst, sicut ex verbis Xenophontis apparet *ἔχων γὰρ τὸ ἑαυτοῦ ναυτικόν*, et idem in Cilicia rem gerit: pergit enim ille: *καὶ ἐποίησε τὸν τῆς Κιλικίας ἄρχοντα Συέννεσιν μὴ δύνασθαι κατὰ γῆν ἐναντιοῦσθαι Κύρῳ πορευομένῳ ἐπὶ βασιλέα.* Plane eadem autem facta in Anabasi tribuuntur Pythagorae Lacedaemonio,[7]) quare necesse est Pythagoram Samiumque eundem esse, nisi forte cum Diodorus tum Xenophon utroque loco duabus classibus commemoratis tertiam omisit.

[1]) Solari l. c. p. 12. — [2]) Judeich l. c. p. 109. — [3]) Xen. Anab. I, 4, 2. — [4]) Simon, Zu Xenophons Hellenica, Fleckeisens Jahrbücher CXLV p. 264. — [5]) Judeich l. c. p. 37[1]. — [6]) Diod. XIV, 19,5. — [7]) Xen. Anab. I, 4,2 : 5; Börner l. c. p. 12.

Hoc vidit[1]) Beloch, quem omnes fere sunt secuti viri docti. Sed quodnam erat illius nomen? Qua de re haec sentio. Xenophon cum Anabasin prius scripserit quam Hellenica, hoc opere totam Cyri expeditionem silentio praeterit, quod eam Themistogenes Syracusanus tractasset, solius Samii III, 1, 2. nauarchi mentionem facit, cuius res gestae ad eventum belli haud magni erant momenti. Hoc mirum esse videtur. Dixerit fortasse quispiam scriptorem iterum id narravisse, ut primordia quoque belli, quod sequitur, a Lacedaemoniis regi Persarum illati commemoraret. At hoc si voluisset, etiam Chirisophum eiusque auxilia produxisset ipsa quoque Lacedaemone Cyro missa.[2]) Nullam igitur aliam causam huius rei video, nisi ut id, quod in Anabasi sive de industria sive errore falso tradidisset Pythagoram eis temporibus fuisse nauarchum, corrigeret iustumque illius nomen memoriae proderet. Propterea rectius Samium eum appellemus.

Gravius est illud, quod adhibuit Solari[3]) Hieracem, Antalcidam Teleutiamque, eodem tempore nauarchia esse functos; nam re vera Antalcidas in Hellesponto rem agit, dum Teleutias Aeginam advenit nauarchus, et Antal- V, 1, 25. cidas nauarchus ad Hellespontum est missus, dum Hierax Rhodi classi praecst. Neque bene eam difficultatem de V, 1, 6. medio tollere est conatus Boerner, cum Xenophontem falso Teleutiam hic appellasse nauarchum contenderet;[4]) quanta V, 1, 13. enim diligentia ille usus sit vocibus militaribus imprimis Lacedaemoniorum ex eo apparet, quod cohortes eorum ante annum 369 nominat moras, postea lochos, qua de re nuperrime egit Kromayer.[5]) Tamen ne illo quidem exemplo iure est nixus Solari. Neque enim Xenophon simulatque Antalcidam nauarchum esse narravit. Hieracem umquam V, 1, 6.

[1]) Beloch, Rhein. Mus. XXXIV p. 124. — [2]) Xen. Anab. I, 4, 3. — [3]) Solari l. c. p. 12. — [4]) Börner l. c. p. 13. — [5]) Kromayer, Studien über Wehrkraft u. Wehrverfassung der griechischen Staaten. Beiträge zur alten Geschichte III p. 188[4] (1903).

commemorat neque Antalcidam, postquam Teleutias suscepit
V. 1. 13 imperium, usquam nominat nauarchum. Accedit, quod uterque novus nauarchus aliorsum proficiscitur, atque prior cum classe moratur, absurdumque est credere Antalcidam, cum Abydus obsideretur ab hostibus, eodem die, quo iustum muneris tempus finiretur, re vera privatum factum esse, quamquam qui susciperet imperium, nemo adesset. Praeterea conferendus est locus, quo a Xenophonte doce-
I. 6, 1. mur, quomodo successerit nauarchus priori. Lysander enim quamquam tempus magistratus est peractum, *τῷ Λυσάνδρῳ παρελήλυθότος ἤδη τοῦ χρόνου*, tamen ipse naves Callicra-
I. 6, 2. tidae dedit, *ὅτε . . παρεδίδου ὁ Λύσανδρος τὰς ναῦς*, qua ex re eum usque ad adventum novi ducis eis praefuisse manifestum est. Tum Callicratidas statim Lysandro dat mandatum. Ergo etsi concedendum est Solario Hieracem Antalcidamque et Antalcidam Teleutiamque uno tempore classibus imperavisse, tamen hac re non profligatur nostra sententia, sed priorem ducem non iam fuisse iustum nauarchum, ubi primum posterior magistratum iniit, affirmo.

Nam certa habemus argumenta. Anno 412 Melanchridas terrae motu Lacedaemone retinetur, mittitur Chalcideus, qui non est nauarchus.[1]) Qua occasione si licuit complures esse in officio, cur alius nauarchus non est electus vel, si iam adfuit, classi praepositus?[2]) Cur Agesandridas, vir fortissimus atque rerum navalium peritissimus numquam nominatur nauarchus, quamquam saepe classis est dux?[3]) Sed haec exempla magis sunt quam argumenta. Quid?
III, 1, 1. quod apud Xenophontem legimus talia: *οἱ δ' ἔφοροι . . .*
III, 2. 12. *Σαμίῳ τῷ τότε ναυάρχῳ ἐπέστειλαν*, vel *οἱ ἔφοροι . . . ἐκέλευον . . . Φάραξα τὸν ναύαρχον σὺν ταῖς ναυσὶ παρα-*
III, 4. 27. *πλεῖν*, vel *ἔρχεται ἀπὸ τῶν οἴκοι τελῶν ἄρχειν καὶ τοῦ ναυτικοῦ ὅπως γεγνόσκοι καὶ καταστήσασθαι ναύαρχον ὄντινα αὐτὸς*

[1]) Thuc. VIII, 6,5 : 8,2; 11,3. — [2]) Busolt l. c. III, 2 p. 1430. — [3]) Börner l. c. p. 14.

βούλοιτο? Ita dicere vix potuit, si nonnullis annis plures eo munere essent functi.

Quibus rebus satis docuisse mihi videor singulos singulis temporibus gessisse magistratum; iam quaerendum est, quantum fuerit spatium, per quod administrarent munus. Verisimillimum est magistratum fuisse annuum, atque sine ulla dubitatione hoc statuemus, dummodo ne obstent huic sententiae ea, quae de singulis nauarchis sunt tradita. Et ne hic quidem Solario aut Iudeichio contigit, ut exempla afferrent, quae quidem probaremus, praesertim cum Solari mihi videatur censere initia aut fines singularum nauarchiarum nisi vere cogitari non posse. Contendit[1]) enim Melanchridam, Astyochum, Mindarum, Callicratidam duos annos imperium tenuisse. Re vera diutius quam annum classi praefuit Cnemus, qui sub finem aestatis mense fere Septembri ineunte[2]) 430 Zacynthum aggressus initio hiemis 429 8 Piraeum occupare est conatus.[3]) Quae difficultas eodem modo est solvenda, quo brevi supra Antalcidam post iustum muneris finem classem tenuisse Lysandri exemplo comprobavimus,[4]) neque enim hieme ineunte 429 Cnemum vocat nauarchum Thucydides. Pharacem autem anno 396 aut 395 nauarchum fuisse cum supra[5]) refutaverimus, neminem diutius quam annum magistratu esse functum manifestum esse putamus, quoniam illius unius exemplo fretus Iudeich nostrae sententiae est adversatus.[6])

Itaque nunc quaerendum est, quo anni tempore et inierint magistratum et deposuerint, qua de re rectam esse Boerneri sententiam contra Meyerum, Belochium, Busoltium affirmo. Neque enim media aestas sed autumnus iniens muneris iustum erat initium. Hic perspicuitatis causa tabulam adicere mihi liceat.

---

[1]) Solari l. c. p. 10. — [2]) Busolt l. c. III, 2 p. 956/7 adn. — [3]) Thuc. II, 93, 1. — [4]) p. 40. — [5]) p. 24. — [6]) Judeich l. c. p. 110 : 63[1].

Nomen nauarchi	Annus	Menses						
		21. VI.—21. IX.	21. IX.—21. XII.	21. XII.—21. III.	21. III.—21. VI.	21. VI.—21. IX.	21. IX.—21. XII.	21. XII.—21. III.
Eurybiades	481/0 ?					?		
Leotychides	480/79							
Pausanias	479/8							
Cnemus	430/29							
Alcidas	428/7							
Thrasymelidas	426/5							
Melanchridas	413/2							
Astyochus	412/1							
Mindarus	411/0				m	o r	t u	u s
Cratesippidas	409/8							
Lysander	408/7							
Callicratidas	407/6					m	ort	uus
Aracus	406/5							
Libys	404/3 ?					?		
Samius	402/1							
Anaxibius	401/0							
Polus	400/399							
Pharax	398/7							
Pisander	395/4						mort	uus
Ecdicus	adhuc incerti							
Hierax								
Antalcidas								
Teleutias								
Pollis	377/6							
Nicolochus	376/5 ?					?		
Mnasippus	374/3							

Hac tabula signum

ostendit singulos eis mensibus classi praefuisse nullo alio nomine quidem superiore.

singulos classi non praefuisse illis mensibus,

nihil de eo tempore esse traditum.

Lineis inclusi menses, quos Boerner adscripsit singulis magistratibus,

quos Beloch aliique.

Missos faciamus, quoniam nullius sunt momenti, hos: Eurybiadem, Leotychidem, Pausaniam, Thrasymelidam, Melanchridam, Cratesippidam, Libyem, Samium Pharacemque, quos usque ad autumnum 401 vel 397 nauarchos fuisse suspicamur, comprobare non possumus, Ecdicum, Hieracem, Antalcidam, Teleutiam, Pollem Nicolochumque, quos quo anno fuerint nauarchi nisi hac quaestione iudicata non constat.

Vere suscipiunt classem hi: Lysander, Callicratidas, Aracus, qui brevi antea hieme commemoratur, Mnasippus eiusque successor.

Aestate hi: Astyochus, Mindarus.

Autumno hi: Cnemus, Alcidas, Polus, Pisander, quibus accedunt, qui certe non aestate magistratum inierunt: successor Leotychidis, successor Cnemi, successor Pisandri.

Sed antequam venio ad propositum, necesse est nonnulla disserere de singulis, quos nominavi, nauarchis. Atque de Lysandri,[1]) Callicratidae,[2]) Araci,[3]) Mnasippi[4]) temporibus supra egimus. Cnemum et Pisandrum non ante Septembrem mensem munus suscepisse contra Belochium[5]) comprobavit Boerner. Et de Cnemo consentit cum eo Busolt,[6]) Pisander cum *ἅμα μετοπώρῳ* designetur, cui III, 4, 26:27: mensem Sextilem non posse tribui optime ex Thucydidis 29; IV, 1, 1. loco apparet:[7]) *καὶ αἱ νύκτες ἐπιγιγνόμεναι τοὐναντίον μετοπωρινὰ καὶ ψυχραί*, cumque Sextili mense 394 a Xenophonte nominetur nauarchus, ante autumnum praecedentis anni vix IV, 3, 10. potest nauarchus esse factus, neque successor eius ad classem pervenit ante autumnum 394. Cnemum, Alcidam, Polum, Pisandrum iam citavit Boerner.[8]) Sed ne Leotychidis quidem successorem ante mensem Septembrem 479 imperium suscepisse verisimile est. Nam cum pugna Platae-

[1]) p. 21. — [2]) p. 8. — [3]) p. 23. — [4]) p. 29. — [5]) Beloch, Philologus XLIII. p. 273. — [6]) Busolt l. c. III, 2 p. 956/7. — [7]) Thuc. VII, 87, 1. — [8]) Börner l. c. p. 16—19.

ensis committeretur non ante primos Sextilis mensis dies[1]) atque apud Mycalam postea dimicatum esse videatur.[2]) Leotychidas, qui fuit nauarchus vere 479,[3]) aliquanto post medium mensem Sextilem classi praefuit.[4]) neque aderat successor nauarchus anni 479 8. Simili modo Cnemus hieme ineunte 429 naves successori non dederat.[5])

Quae cum tradita sint de singulis, difficile quidem esse videtur certum ordinem eis imponere, quoniam novi nauarchi susceperunt naves modo vere, modo autumno, modo ultima aestatis parte, at numquam media aestate. Praeterea illud animadvertendum est, quod Busolt rectissime dixit,[6] non idem esse muneris iustum initium atque tempus, quo traditae sint naves. Cuius difficultatis remedium sane non neglegendum ostendit Meyer, cum suspicetur[7]) initium muneris in aliud tempus esse translatum. Sed hac ratione uti vix licet. Nam si commutatum est ea de causa, quod malum esse priorem usum intellexerunt Lacedaemonii, cur paucis annis non semel sed ter correxerunt institutum? Inde a Cnemo enim usque ad Mindarum altera aestatis parte terminatos esse singulorum annos contendi potest. Contra Lysander, Callieratidas, Araeus vere inierunt imperium, quod tempus adeo non in usum venit, ut Anaxibius navibus praecesset usque ad medium autumnum. Muasippus demo vere imperium suscepit. Aut simili modo atque consules Romanorum antiquis temporibus, cum nauarchus casu quodam, fortasse morte, ante anni sui finem decessit, novus nauarchus non in reliquos menses suffectus sed in XII mensium spatium creatus est ita, ut iam alio tempore atque antea munus finiretur novusque succederet. Sed ne hac quidem via variatum esse magistratus tempus ex Araci exemplo manifestum est. Nam Callieratida Sextili mense

[1]) Meyer l. c. III p. 413; Busolt l. c. II p. 726. — [2]) Meyer l. c. III p. 415; Busolt l. c. II p. 742[2]. — [3]) Herod. VIII, 131. — [4]) Herod. IX, 114. — [5]) Thuc. II, 93, 1. — [6]) Busolt, Gr. Gesch. III, 2 p. 1430. — [7]) Meyer l. c. IV p. 640.

interfecto Aracus successor, vel potius, qui eius locum re vera teneret, Lysander, eodem tempore atque Callicratidas vere ad classem venit.

Quare ne ad Solarii Iudeichiique sententiam decurramus, unum certum nauarchiae terminum omnes per annos servatum constituamus necesse est, sicut omnes fere viri docti fecerunt. Quorum nemo, quod ego sciam, his temporibus vere esse finem anni collocandum arbitratur, quoniam Beloch multa protulit,[1]) quae his repugnarent, praeterea ea falsa esse ex eo elucet, quod Astyochus, quem minime laudarent Lacedaemonii, tamen non vere 411 sed mense Sextili honore est deiectus. Nam eius annum coepisse a vere 411 nemo contendet. Atque ut ad Belochii,[2]) Meyeri,[3]) Busoltii[4]) sententiam transeamus, mediae quidem aestatis testimonium omnino nullum adest, quamquam concedo Astyochum certe atque Mindarum, fortasse etiam Cnemum, ante aequinoctium imperium inisse. Sed Cnemi exemplum rectius omisisset Beloch; nam cum prima mensis Septembris parte classis sit missa, ut novam expeditionem inciperet, mirum esse vix potest, quod ei praefectus est nauarchus designatus, qui paucis diebus post nauarchiam iniit, non ille, qui per totum fere annum munere functus brevi post magistratu se abdicaturus erat. De Lysandro autem et de Callicratida et de Mnasippo verum non vidisse Belochium comprobavisse mihi videor.[5])

His opponendi sunt non solum VI nauarchi, Leotychidis successor, Cnemi successor, Alcidas, Polus, Pisander eiusque successor, qui sub aequinoctium, sed etiam V, qui vere ad classem venerunt, Lysander, Callicratidas, Aracus, Mnasippus eiusque successor, quorum tres post iustum muneris exordium imperium inisse non antea atque nau-

[1]) Beloch, Philol. XLIII p. 274. — [2]) Beloch, Philol. XLIII p. 275. — [3]) Meyer l. c. IV p. 619. — [4]) Busolt l. c. III, 2 p. 1430. — [5]) p. 5—23; p. 29—34.

archos fuisse annis 408 7. 407 6. 406,5 non 407 6. 406 5. 405 4 perspicue tradit Xenophon: *οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι . . . Κρατησιππίδᾳ τῆς ναυαρχίας παρελήλυθείας Λυσάνδρου ἐξέπεμψαν ναύαρχον, οἱ Λακεδαιμόνιοι τῷ Λυσάνδρῳ παρελήλυθότος ἤδη τοῦ χρόνου ἔπεμψαν ἐπὶ τὰς ναῦς Καλλικρατίδαν. τὰς μέντοι ναῦς παρέδωσαν Λυσάνδρῳ. τῷ δ' ὕστερον ἔτει Λυσάνδρου ἀφιγμένου εἰς Ἔφεσον μετεπέμψατο Ἑκάτωνα ἐκ Χίου σὺν ταῖς ναυσί.* Quare eodem modo Mnasippum vere 373 profectum nauarchum fuisse 374 3 verisimile videtur, praesertim cum aliquanto antea classi sit praepositus. Itaque his quoque exemplis posterior magis terminus autumni, quam prior mediae aestatis commendatur, ut XI habeamus, qui certe non ante aequinoctium autumnale imperium inierint, II qui certe antea nauarchi sint facti. Atque cum constet nauarchorum si non totum at certe summum officium fuisse, ut navibus in bello imperarent, quoniam ex omnibus, qui commemorantur, unum Melanchridam eumque superstitione commoti Lacedaemonii domi retinuerunt,[1]) quomodo Beloch nobis persuadebit ex XIII, de quibus certi quid comperimus, omisso Cnemo, duos nauarchos per duos menses, VI per tres vel plures, V per IX menses sui quemque anni classi non praetuisse? immo eos omnes eo potissimum anni tempore, quod ad rem mari gerendam maxime erat idoneum, mensibus Quintili Sextilique alii imperium commisisse? id quod Araeus quoque fecit, quamquam, qui praecesserat, Callicratidas erat mortuus.

Quanto melius Boerner Astyochum et Mindarum extraordinariis de causis uno fere mense ante iustum magistratus exordium imperium suscepisse quasi nauarchos designatos comprobavit,[2]) Astyochum, quod divino consilio retinebatur Melanchridas domi, Mindarum, quod adeo Astyochi nauarchiam vituperabant Lacedaemonii, ut antea quoque de honore ei abrogando agerent;[3]) V autem illi vere profecti,

[1]) Thuc. VIII, 6,5. — [2]) Börner l. c. p. 18. — [3]) Thuc. VIII, 39,2.

quamquam altera singulorum annorum parte domi remanserunt, tamen ea, qua navibus bellare prae tempestatibus vix licuit. Neque vero illud neglegendum esse puto Lacedaemonios annos finivisse aequinoctio autumnali, etiamsi non constet, tamen verisimillimum esse.[1])

Quae cum ita sint, equidem de nauarchia censeo haec: Iustum muneris tempus coeptum atque finitum est autumno eodem tempore, a quo Lacedaemoniorum annus cepit initium. Designati sunt nauarchi brevi antea, simulatque ephori iusserunt, aut nova classe sunt profecti, id quod saepius accidit non statim autumno sed vere insequente (Lysander, Mnasippus), aut naves ab eo, qui praecedebat, nauarcho susceperunt et imperium tenebant usque ad novi nauarchi adventum. Atque si spes erat eos rem bene coeptam hieme ad finem perducturos esse, sicut Lysandrum post pugnam Notiensem, Corcyraeis victis Mnasippum, aut pacem factum iri, sicut post cladem apud Arginusas acceptam, per hiemem classis commissa est veteri nauarcho aut, si mortuus erat, *ἐπιστολεῖ*.

---

[1]) Bischoff, Beiträge zur Wiederherstellung altgriechischer Kalender. Leipziger Studien XVI p. 155; Schoemann-Lipsius, Griechische Alterthümer II (1902) p. 463.

II. DE BELLO CORINTHIO CYPRIO OLYNTHIACO

1. DE BELLO CORINTHIO TERRESTRI

Quibus rebus absolutis nunc venio ad bellum Corinthium. Quae hieme 395/4 et aestate 394 sint gesta, Agesilai in Graeciam expeditionem, pugnas apud Nemeam, apud Cnidum, apud Coroneam commissas, praetereo, quoniam quibus temporibus facta sint, et ex aliis Xenophontis verbis constat et ex defectione solis IV, 3, 10 commemorata, quae accidit medio mense Sextili 394.[1]) Apud Nemeam depugnatum esse Eubulide archonte 394/3 primis diebus Dexilei Atheniensis monumento[2]) atque Xenophontis loco IV, 3, 1 indicatur, quo legimus Agesilao Amphipoli cum esset, victoriam nuntiatam esse, menseque Sextili eiusdem anni rex erat in
IV, 3, 16. primis Boeotiae finibus.[3])

Ad rerum sequentibus annis gestarum tempora definienda maximo est emolumento, quod Grote tertia Andocidis oratione allata Isthmia, quorum mentionem fecit Xenophon initio capitis quinti, tribuenda esse edocuit[4]) anno 390. Quam sententiam solus Iudeich falsam esse affirmavit, sed nescio quibus de causis dixerit:[5]) 'Der jetzt herrschende Ansatz

---

[1]) Hofmann, Sämtliche bei griechischen und lateinischen Schriftstellern des Altertums erwähnten Sonnen- und Mondfinsternisse. Programm v. Triest 1894 p. 23. — [2]) Dittenberger, Sylloge inscriptionum Graecarum I[2] Nr. 67 (1898). — [3]) Beloch, Griechische Geschichte II p. 198 (1897); Meyer, Geschichte des Altertums V p. 236 (1902). — [4]) Grote, Geschichte Griechenlands V[2] (1880) p. 248. — [5]) Judeich, Kleinasiatische Studien (1892) p. 83[2].

390 verträgt sich sehr schlecht mit den Kriegsereignissen.' Nam quod Xenophon Amyclaeos eodem anno ad Hyacinthia facienda revertisse tradidit, ex eo optime conclusit Beloch[1]) priorem Agesilai in Argolidem incursionem factam esse praecedente anno, cum redisset rex brevi ante Hyacinthia quaedam, id quod ex Xenophontis de Agesilao libro comperimus;[2]) neque video cur talia in suspicionem vocaremus, id quod fecit Sievers[3]) Iphicratem anno 392 vicisse Lacedaemonios arbitratus, etsi Agesilaum non scripsisset Xenophon ipse. Itaque si Iudeichium sequemur, quoniam Agesilao fratri adest Teleutias ad muros Corinthios destruendos, quae de bello navali traduntur inde a Pharnabazi atque Cononis profectione usque ad Teleutiae in sinum Corinthiacum adventum, accidisse inde a vere usque ad primam aestatem[4]) eiusdem anni 393 necesse est credamus, id quod absurdum est. Omnia igitur, quae legimus quinto huius libri capite de altera in Argolidem irruptione, gesta sunt vere atque priore aestatis parte 390, prius invasit rex fines Argivos non post aestatem 391.

IV, 5, 11. IV, 4, 19. IV, 8, 7—11.

Simili modo atque Isthmiis et Hyacinthiis Eucleis quoque, quae Xenophon IV, 4, 2 commemorat, uti conati sunt viri docti, sed haud scio an minus feliciter. Nam etsi comprobamus, quae Corsinus ex titulo Corcyraeo[5]) enucleavit[6]) de mensibus Corcyraeorum, Eucleumque duodecimum apud Corcyraeos fuisse mensem credimus, tamen incertum est, utrum eorum mensis Artemitius eidem anni tempori responderit atque Lacedaemonius, id quod arbitratus est Kirchner,[7]) an utriusque civitatis annus eisdem diebus sit

---

[1]) Beloch l. c. II p. 207[1]. — [2]) Xen. Ages. 2, 17. — [3]) Sievers, Geschichte Griechenlands vom Ende des peloponnesischen Krieges bis zur Schlacht bei Mantinea 1840 p. 386/7. — [4]) Unger, Der Isthmientag und die Hyakinthien. Philologus XXXVII p. 17. — [5]) Corpus inscriptionum Graecarum Graeciae septentrionalis III, 1 Nr. 694. — [6]) Corsinus, Fasti Attici II p. 416 (1747). — [7]) Kirchner, De Andocidea quae fertur tertia oratione. Dissert. Berol. 1861, p. 9/10.

coeptus, ex quo efficitur, ut Euclea factane sint mense Februario an Septembri diiudicare vix possimus.

Meliore iure a viris doctis adhibita sunt verba quaedam Aristidis rhetoris:[1]) *τῆς δ' ἐν Κορίνθῳ μάχης καὶ τῆς ἐν Λεχαίῳ μέσος ἄρχων Εὐβουλίδης*. Quae facillime interpretamur ita, ut pugnam apud Nemeam commissam esse brevi antequam Eubulides archon esset factus, anno 395/4, alteram brevi postquam magistratu se abdicasset anno 393/2, censeamus; atque tribuisse rhetorem prius proelium anno 395/4 Beloch contendit[2]) sed errore implicitum, sicut postea quoque verbis eius abrogat fidem. Tamen illo loco tam accurate usus est Aristides tabula archontum, ut eum peccavisse vix concedam Belochio. Quare cum ex Dexilei monumento sciamus apud Nemeam dimicatum esse initio anni Eubulidis 394/3, verisimile mihi quidem videtur etiam Aristidem apud auctorem suum tale quid invenisse. Itaque quaerendum est, quomodo intellegamus illud *μέσος ἄρχων*. Neque enim possum Meyero assentiri, cum arbitretur[3]) pugnam inter muros factam esse Eubulide archonte 394/3, cum ita si res se haberet, Aristides non scripsisset *μέσος ἄρχων* sed simpliciter *ἄρχων* vel potius sic: *ἡ δ' ἐν Κορίνθῳ μάχη καὶ ἡ ἐν Λεχαίῳ ἐγένοντο ἐπ' Εὐβουλίδου*, quoniam haec proelia quasi unum factum opposuit et Socratis morti et paci Antalcidae. Neque alia re commotus nisi brevitatis causa, ne duos archontes nominare cogeretur, verbis haud ita usitatis *μέσος ἄρχων* est usus. Quamobrem cum utramque pugnam eodem archonte commissam esse cogitari non possit, necessario alteram tribuemus sequenti archonti, id est anno 393/2, nam si postea esset facta, sequens ille non Eubulides esset *μέσος ἄρχων*. Propterea ex verbis illis Aristidis apparet inter muros Corinthios dimicatum esse anno 393/2 exceptis fortasse ultimis mensibus.

[1]) Aristides XLVI p. 370 II Dindorfii. — [2]) Beloch, Die attische Politik seit Perikles p. 347 (1884); Griech. Gesch. II p. 198. — [3]) Meyer l. c. V p. 247.

Hoc si tenemus, Xenophontis verbis diligenter adhibitis rerum tempora accuratius licet definiamus. Tradit is IV, 4. 1.
Corinthi tumultum exortum esse, quod pacem appeterent
cives: fines enim Corinthiorum bello esse vastatos, cum
Athenienses, Boeotii, Argivi ipsa illa regione castra posuissent. Bellum autem redintegratum esse autumno 394 negabimus, nam Lacedaemonii medio mense Sextili ad fines
Boeotiae morati, priusquam dimiserunt socios, Gylide duce IV, 3. 10; 4, 1.
Phociis Locrisque bellum intulerunt. Quare quae incipit
Xenophon verbis *ἐκ δὲ τούτου ἐπολέμουν*, adscribenda sunt IV, 4. 1.
anno sequenti 393. Hoc igitur anno bello vexati sunt
Corinthii, ut pacem desiderarent, neque classis Persarum
vere eiusdem anni contra insulas maris Aegaei profecta IV, 8. 7.
ante mediam aestatem Isthmum venit, quo tempore cum
socii universi adessent, nondum dimissi erant magni exer- IV, 8. 8.
citus, id quod narrat Xenophon IV, 4, 14: qua re inter
illud *στρατιαὶ μὲν μεγάλαι ἑκατέρων διεπέπαυντο*, atque ea
quae sequuntur, *φρουροῖς δὲ πέμπουσαι αἱ πόλεις κτέ* totam
hiemem 393/2 intercidisse puto. Neque enim illud verisimile videtur utrosque exercitibus autumno dimissis eodem
statim autumno novo genere militum bellum continuavisse,
sed multo melius hoc veri 392 assignabimus. Qua re
probata ut ad pugnam inter muros Corinthios commissam
revertar, ex Hellenicis trucidationi Corinthiorum adfuisse IV, 4. 2.
videmus ipsos Athenienses, Boeotios, Argivos: haec igitur
ante eorum decessum autumno vel ultima aestatis parte 393
accidit. Contra pugnam cum tradat auctor, et Iphicratis
mercennarios et Boeotiorum praesidium commemorat, atque IV, 4, 9.
consentit cum eo de hac re Andocides tertia oratione;[1])
ex quo manifestum est illo tempore iam discessisse ipsos
socios, misisse milites conducticios, quos vere 392 advenisse
modo comprobavimus.

Priorem Agesilai in Argolidem incursionem collocandam

[1]) Andocides III, 18.

esse ante aestatem 391 supra demonstratum est.[1]) Nunc constat illam factam esse vere eius ipsius anni, nam Xenophontis verba IV. 4. 14. *ἐκ δὲ τούτων στρατιαὶ μὲν μεγάλαι ἑκατέρων διεπαύοντο, φρουροὶς δὲ λείποντες αἱ πόλεις, αἱ μὲν εἰς Κόρινθον, αἱ δὲ εἰς Σικυῶνα, ἐφύλαττον τὰ τείχη*, sensu IV. 4. 18. carerent, si statim novo vere 392 Athenienses toto exercitu ad muros aedificandos Corinthum venissent. Occupatos autem eo opere illos rex depulit, id quod ex imperfecto, quod vocamus, tempore *τὸ δὲ ἔξω μᾶλλον κατὰ ἡσυχίαν ἐτείχιζον*, scilicet Athenienses, cognoscimus.

Sed quo anno ipse portus Corinthiorum, qui nominabatur Lechaeum, captus est a Lacedaemoniis? Praxitam, cum Corinthios sociosque anno 392 vicisset, portum quoque expugnasse et Diodorus[2]) et Andocides[3]) certis verbis dicunt, et Xenophon Boeotiorum *φύλακας* in ipso portu cecidisse IV. 4. 12. tradit, id quod idem est atque Lechaeum captum esse ab hostibus, immo brevi post Lacedaemonios ex portu proIV. 4. 17. ficiscentes inducit, qua re apparet illos portum non modo cepisse sed etiam praesidio ornavisse. At cum non multo post vere 391 Athenienses alterum murum a Corintho ad portum aedificaverint securi, ut scripsit Xenophon *μᾶλλον κατὰ* IV. 4. 18. *ἡσυχίαν*, num creditis hoc fieri potuisse castello, quod iuxta muros situm erat, ab hostibus occupato? Accedit, quod eodem fere tempore Teleutias Lacedaemonius aggressus est LechaeIV. 4. 19. um, legimus enim in Hellenicis haec: *ὁ δὲ* (scilicet Teleutias) *κατὰ θάλατταν τὰς ναῦς καὶ τὰ νεώρια ἦρκε*. Talia cum memoriae sint prodita, Meyer[4]) semel scilicet anno 393, cui falso tribuit pugnam intra muros commissam, Beloch[5]) ipse quoque semel sed anno 391 portum a Lacedaemoniis expugnatum esse contendunt. Quae difficultas mihi quidem explicanda esse videtur hoc modo: Munimenta portus atque murorum longorum cohaerebant inter se ita, ut facile Le-

[1]) p. 49. — [2]) Diod. XIV. 86. 3. — [3]) Andoc. III. 18. — [4]) Meyer l. c. V p. 247. — [5]) Beloch, Gr. Gesch. II p. 203.

chaeum invadere posset, cui intra muros pervenire contigisset. Qua re factum est, ut Praxitas vere 392 hostibus fugatis eodem die portum quoque caperet, quamquam Lacedaemonii haud ita periti erant moenium oppugnandorum. Tum Iphicratis mercennarii milites adeo non conati sunt locum recuperare anno 392, ut ne patentibus quidem campis praesidium Lacedaemoniorum aggredi auderent. IV, 4, 17. Tamen postquam Praxitas destruxit murorum partem, Lechaeum quoque apertum erat; ideirco cum Athenienses sequente vere 391 toto exercitu appropinquarent, praesidium IV, 4, 18. Lacedaemoniorum victoria desperata aliorsum se recepit fortasse Sicyona. Denique Agesilaus necopinato a meridie montibus superatis non usitata via ab occidente adveniens IV, 4, 19. intra muros nondum perfectos pervenit atque una cum Teleutia fratre classe advecto Athenienses et a muris et Lechaeo depulit. Neque obstat huic sententiae memoria Diodori, qui socios Lechaeum obsedisse atque expugnaturos fuisse, nisi a Lacedaemoniis repulsi essent, tradit[1]) et quidem post pugnam inter muros factam ante Isthmia, quae commemoravimus, anni 390 eodem temporis spatio, quo Xenophon murorum restitutionem Agesilaique invasionem collocavit.

De eis, quae sequentibus capitibus libri quarti sexto atque septimo narrantur, certi quicquam non affirmaverim. Suspicari licet priorem Agesilai in Acarnaniam expeditionem IV, 6. assignandam esse anno 389, alteram vere 388, Agesipolidem IV, 7, 1. Argivorum fines vastavisse anno 387. IV, 7, 2—7.

2. DE BELLO CORINTHIO NAVALI

Iam igitur transeundum est ad bellum Corinthium navale. Constat primis paragraphis capitis VIII. libri IV. ea narrata esse, quae pugnam navalem apud Cnidum com-

[1]) Diod., XIV, 86, 4.

missam eodem anno 394 essent secuta. Tum IV, 8, 7 hieme praetermissa incipiunt res veris 393, Pharnabazus Isthmum venit media fere aestate 393, non multo post Conon Athenas. Et quoniam Teleutiam cum classe advenisse Lechaeum vere 391 una cum Agesilao fratre supra demonstravimus,[1]) quae de proeliis navalibus tradidit Xenophon IV, 8, 11 Lacedaemonios frustra hostium classem in sinu Corinthiaco superare conatos esse, assignabimus anno 392.

Sed haec leviora, iam ad posteriorem belli navalis partem venio. Atque rectissime Beloch ad difficultates horum annorum dissolvendas adhibuit seriem nauarchorum Lacedaemoniorum. Attamen eam, quam credit,[2]) tabulam:

393/2	Podanemus
392/1	Teleutias
391/0	Ecdicus
390/89	Teleutias
389/8	Hierax
388/7	Antalcidas
387/6	Teleutias

restituere non licet, quoniam Xenophon neminem nominat
IV, 8, 29; V, 1, 3; V, 1, 6; V, 1, 15. nauarchum nisi Ecdicum, Hieracem, Antalcidam, Teleutiam. Atque Teleutias quidem antea quoque tenebat naves, sed iniuria Beloch eum ter fuisse nauarchum contendit, cum
II, 1, 7. legem habeamus[3]) Lacedaemoniorum, quo neminem saepius quam semel nauarchum esse sit praeceptum. Nam quaecumque scripsit Xenophon V, 1, 13, ubi legerim: *ἐκ δὲ τούτου οἱ Λακεδαιμόνιοι Τελευτίαν αὖ ἐπὶ ταύτας τὰς ναῦς ἐκπέμπουσι ναύαρχον*,[4]) hoc certum est vocabulo *αὖ* praedicatam esse

---

[1]) p. 52. — [2]) Beloch, Att. Pol. p. 349. — [3]) Diod. XIII, 100, 8; Plut. Lys. 7. — [4]) Hoc loco codices alterius classis exhibent *ἐπὶ ταύτῃ ἐκπέμπουσι ναύαρχον* postque *ἐκπέμπουσι* adnotavit lacunam B, alteri praebent haec: *ἐπὶ ταύτῃ ἐκπέμπουσιν ἐπὶ ταύτας τὰς ναῦς ναύαρχον*. Atque cum hoc potissimum loco in priore classe permultae inveniantur lacunae ab altera recte expletae (Keller p. 155), vix est dubium, quin in archetypo exstiterint *ἐπὶ ταύτῃ ἐκπέμπουσιν ἐπὶ ταύτας τὰς ναῦς ναύαρχον*.

vocem *Τελευτίαν* non *ναύαρχον*, atque Xenophonti, si indicare voluit nauarchum iterum fuisse Teleutiam, scribendum fuisse *ἐκ δὲ τούτου οἱ Λακεδαιμόνιοι ναύαρχον αὖ ἐκπέμπουσιν ἐπὶ ταύτας τὰς ναῦς Τελευτίαν*. Praeterea eisdem navibus antea praefuit Teleutias, nauarchus non est appellatus antea. Quamobrem quoniam hoc loco Belochii sententia minime comprobatur, eam falsam esse his rationibus mihi persuasi. Primum quidem Xenophon ipse illam legem commemoravit, idem alio loco, cum praeter consuetudinem Agesilao res quoque navales committerentur, quibus de causis hoc factum esset, demonstravit; mirum igitur esse debebat eum hic silentio praeterisse illam legem esse sive abolitam sive neglectam, praesertim cum occasio esset data ad fratrem Agesilai laudibus efferendum, cui ipsi quoque valde favebat, id quod apparet ex loco V, 1, 3. Deinde cur Teleutiam prioribus locis non appellavit nauarchum, quamquam utroque anno, quo Beloch illum nauarchia esse functum arbitratur, eius facit mentionem? Accedit, quod ex verbis Xenophontis *οὐ γὰρ νόμος αὐτοῖς ὃς τὸν αὐτὸν ναυαρχεῖν* manifestum esse mihi quidem videtur eo tempore, quo ederet illa scriptor, id est post bellum Corinthium, legem illam nondum esse dissolutam. Nam quem putatis illis verbis adiciendam esse censere copulam, quam vocamus, *ἦν* pro *ἐστίν*? Immo etiam Ecdico nauarcho navibus praest Teleutias, itaque quandocumque illum mari rem gessisse legamus, eum nauarchum fuisse minime licet contendere. Quibus rebus efficitur, ut toto Belochii nauarchorum indice uti non possimus: nam etiamsi concedimus Teleutiam inter

V, 1, 2.

II, 1, 7.

III, 4, 27.

IV, 8, 11 : 23.

II, 1, 7.

VIII, 8, 23.

Sed quoniam *ἐπὶ ταύτῃ* sensu caret, coniectura aut commutandum aut delendum est, cumque brevi postea legamus *ἐπὶ ταύτας*, ex his vocabulis illud *ἐπὶ ταύτῃ* errore exortum esse verisimile videtur. Itaque genuinum est aut *Τελευτίαν αὖ ἐκπέμπουσιν ἐπὶ ταύτας τὰς ναῦς ναύαρχον* librariusque ex *ἐκπέμπουσιν* aberravit in *ἐπὶ ταύτας*, aut *Τελευτίαν αὖ ἐπὶ ταύτας τὰς ναῦς ἐκπέμπουσι ναύαρχον* atque librarius post *ταύτας* omisit *τὰς ναῦς* apposuitque in margine *ἐπὶ ταύτας τὰς ναῦς*, id quod verisimilius esse arbitror.

Polaenum Ecdicumque et inter Ecdicum Hieracemque classi imperavisse, fortasse alio quodam nauarcho, tamen minus constat eum per anni potissimum spatium ducem fuisse, quam ut pro nauarcho utriusque anni in tabula possit inseri. Hoc videmus ex Hellenicis Antalcidam succ-
V. 1. 6. cessisse Hieraci, atque statim post Antalcidam Teleutiam munere esse functum ex rerum conexu potest concludi.

Quaeramus igitur, quibus annis hi fuerint nauarchi. Pax est facta Theodoto archonte 387 6,[1]) neque ante ver 386 bellum esse finitum sagacissime comprobavit Swoboda.[2]) Teleutias postremus iniit nauarchiam atque eius res Aeginae gestas intermisit Xenophon eis, quae Antalcidam fecisse
V. 1. 7:25. narrat bellumque Hellesponticum interrupit. Idcirco Boernerum[3]) secutus re vera victoriam ex Atheniensibus ad Piraeum adeptum esse credo Teleutiam, priusquam Antalcidas Abydum obsessione liberaret. Quodsi Teleutiam nauarchum esse factum autumno 387 statuimus, multa ultimis eius anni mensibus assignanda sunt. Attamen fieri potest, ut quaecumque post Teleutiae adventum acciderunt, tribuamus autumno vel hiemi incunti. Nam proelium ad Piraeum commissum est paucis diebus postquam ille sus-
V. 1. 13. 18. ceperat naves, Antalcidas Atheniensibus dolo deceptis
V. 1. 25—27. Thrasybulum superat magnamque undique contrahit classem,
V. 1. 28. qua occupat Hellespontum. Haec facile sunt facta altera mensis Septembris parte menseque Octobri. Sed tamen ad naves Persicas comparandas longius spatium contritum esse fortasse verisimile videri potest, praesertim cum de
V. 1. 28. pace iam ageretur, et Siculorum quoque adventum potius aestati quam autumno adscripserimus, quippe quo non multum temporis ad bellum navale gerendum idoneum

[1]) Aristides XLVI p. 370 II Dindorfii. — [2]) Swoboda, Athenisches Psephisma über Klazomenä. Mitteilungen des deutschen archäologischen Instituts in Athen VII p. 180. — [3]) Börner, De rebus a Graecis inde ab anno 410 usque ad annum a. Chr. n. 403 gestis. 1894 p. 13*.

superfuerit. Quibus de rebus haud absurdum est suspicari Antalcidam revertisse a rege Persarum vere 387, Teleutiam nauarchum esse factum autumno 388, profectum vere 387. Cui sententiae minime obstat, quod novum anni 387/6 nauarchum omnino non nominat Xenophon, quoniam si modo recta est sententia, autumno 387 non iam armis est decertatum sed de pace actum. Ne populiscito quidem, de quo egit Swoboda loco citato,[1]) de Clazomeniis decreto pro argumento uti licet. Nam cum constitutum sit Theodoto archonte fortasse mensi Quintili exeunte 387, cumque plebem Clazomeniorum cum nobilibus certantem ad Athenienses se adiunxisse comperiamus, id quod accidere potuit mense Iunio, si Antalcidas redierit fere Maio atque per aliquantum temporis, qua de re nihil certi invenimus in Hellenicis, Abydi in oppido Atheniensibus obsesso degerit, V. 1, 25.
cur Clazomenii mense Iunio, antequam advenissent Persarum aut Siculorum naves, de rebus Atheniensium desperasse credamus, non video.

Ex Xenophontis igitur verbis minime intellegimus, quibus annis nauarchi fuerint Teleutias, Antalcidas, Hierax, qui utrum autumno 389 an antea inierit magistratum, nescimus. Illud certum videtur, si nauarchus fuit anno 389 8, eum autumno venisse ad naves, non vere. Nam Aristophanes poëta in comoedia, quae inscribitur Plutus, mentionem facit Pamphili verbis his: *ὁ Πάμφιλος δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον κλαύσεται*;[2]) quibus huius Pamphili cladem Aeginae V, 1, 2.
acceptam significari bene coniecit Sievers.[3]) Docuit autem Plutum poëta hieme exeunte 388, itaque Pamphilus aestate antecedente dux erat, atque Hierax aut vere 389, si erat nauarchus 390/89, aut autumno 389, si erat nauarchus 389 8, Aeginam se contulit, non postea. Atque cum Athenienses, qui V menses Aeginae morarentur, ab Aeginetis V, 1, 5.

---

[1]) p. 56. — [2]) Aristoph. Plut. v. 174 Dindorfii. — [3]) Sievers l. c. p. 135[21].

V, 1, 2. lacessiti bellum eis inferrent, horum populationes fieri sunt coeptae non post ver vel primam aestatis 389 partem. Thrasybulus antea cum XL navibus est profectus, quoniam
IV, 8, 25. Aeginam omnino neglexit, atque si Aeginetas bellum concitasse *ἐπεὶ φανερῶς κατὰ θάλατταν ὁ πόλεμος ἐπολεμεῖτο*,
V, 1, 1. apud Xenophontem legimus, his verbis Thrasybuli expeditionem indicari puto: nam Philocratem eiusque X naves non tam contra Lacedaemonios quam Euagorae miserant Athenienses. Itaque Thrasybulus naves solvit ante primam aestatem 389, id est non post ver eiusdem anni, comparata est classis hieme antecedente. Teleutias autem Philocratem vicit priore tempore, id quod apparet et ex ordine, quo in
IV, 8, 24—25. Hellenicis res narrantur, et ex eo, quod scripsit Xenophon:
IV, 8, 25. *οἱ δ' Ἀθηναῖοι νομίσαντες τοὺς Λακεδαιμονίους πάλιν δύμαμιν κατασκευάζεσθαι ἐν τῇ θαλάττῃ, ἀντεπλήρουν Θρασύβουλον*. Quibus de causis statuere possumus Teleutiam superasse Philocratem non post autumnum vel hiemem ineuntem 390. Cumque supra viderimus[1]) illum Hyacinthiis anni 391 apud
IV, 8, 23. Lechaeum rem gessisse, unde profectus est Rhodum, iam constat Philocratis cladem collocandam esse post mediam aestatem 391 ante mediam hiemem 390/89.

Sed illius tempus accuratius potest definiri. Iam pridem enim adhibita est a viris doctis oratio Lysiae de Aristophanis rebus habita, ex qua apparet Aristophanem Atheniensem perfecisse, ut Euagorae X naves auxilio mitterentur.[2]) Nam eo loco rem esse de Philocratis expeditione, non de Chabria, optime demonstravit Frohberger.[3]) Atque Aristophanes accusatus est bonaque eius sunt publicata; quae cum minora fuissent opinione, orator affirmavit illi demum post pugnam Cnidiam IV vel V annis acquirendi facultatem esse datam, quo factum esse, ut non plura relinqueret.[4]) Ex vocabulo *καταλειπεῖν* terminum illorum

[1]) p. 48—49. — [2]) Lysias XIX, 21. — [3]) Frohberger, Ausgewählte Reden des Lysias III p. 90 (1871). — [4]) Lysias XIX, 29.

V annorum intellegendam esse videmus mortem eius non iter Cypriacum, praesertim cum Cypri quoque rem familiarem augere potuerit. Quare supplicio est affectus intra mensem Sextilem 390 eundemque mensem 389, cumque e re fuerit oratori parvum fuisse spatium ostendere, V annos praeferemus causamque vere vel aestate 389 actam esse existimabimus. Qua causa cum implicitum esse illum propter cladem Philocratis verisimile videatur, hanc potius anno proximo 390 quam 391 tribuemus.

3. DE BELLO OLYNTHIACO PHLIASIOQUE

Nunc videamus, num alia ratione huius expeditionis tempus accuratius terminemus. Xenophon IV, 8, 24 belli, quod gestum est inter Euagoram regemque Persarum, facit mentionem. De hoc bello Isocrates quoque in oratione, quae inscribitur Panegyricus, nonnulla tradidit. Quibus de rebus maxima exorta est virorum doctorum dissensio, neque cuiquam eorum plane possum assentiri ne Meyero quidem, quamquam plurima eisdem fere temporibus, quibus ille, assignabo, sed qua re pro fundamento est usus, eam ipsam carere argumentis credo. tempus dico, quo editus sit Panegyricus. Atque inter omnes constat Panegyricum esse compositum, quasi ab Isocrate ipso in Graecorum conventu haberetur, neque vero eum re vera ab illo esse habitum. Cuius rei causas attulit Blass[1]) unam, quod de Panegyrico vocabulis *γράφειν* et *διαδιδόναι* esset usus ille, numquam *ἀγορεύειν*, alteram, quod alias valde vituperasset eos, qui ludis ad populum verba facerent, cum eo modo nihil proficerent, eosque adeundos esse suasisset, qui maxima apud cives essent auctoritate.[2]) Qua re ut Isocratem ipsum Panegyricum non habuisse verisimile videtur, ita minime

[1]) Blass, Die attische Beredsamkeit II[2] p. 251 (1892). — [2]) Isocr. V, 12—13.

comprobatur Wilamowitzii sententia, qua contendit [1]) Olympiae multa illius orationis exempla ipsis ludis venisse. Neque enim multitudo, quam cognoscere opus suum pro nihilo ducit ille eo loco, utrum audierit orationem, an legerit, ullius esse momenti censeo. Itaque opinari quidem licet Panegyricum nonnullis ante Olympia quaedam mensibus finitum esse ab auctore librariisque, ut describerent, deditum, sed hoc incertum est. Eodem enim iure dixerit quispiam Isocratem venustatis atque elegantiae causa opus suum orationis instar composuisse ideoque, quos alloqueretur, fingere debuisse, et quoniam omnium Graecorum animos patriae suae vellet reconciliare, omnes Graecos se audientes fecisse, id quod cogitari non posset nisi ludis Olympicis. Itaque opus instituisse illum, quasi ludis Olympicis orationem haberet, rerumque statum, qui fuisset mense Sextili cuiusdam anni Olympici, sibi proposuisse eodemque fere tempore librum perfecisse editionemque coepisse. Sed haec omnia incerta, illud verisimile mihi non videtur Isocratem orationem, in qua saepissime verba faceret de rebus, quae illis potissimum temporibus gererentur, compluribus mensibus, antequam publici iuris faceret, absolvisse, quia eo spatio permulta potuerunt accidere, quae rerum statum funditus permutarent.

Atque cum ita cohaereant inter se tempora et belli Corinthii et belli Cyprii et orationis Panegyricae et belli Olynthiaci Phliasiique, saepe invenimus viros doctos tactum quoddam terminasse eis, quae alii viri docti antea illo potissimum tacto usi temporibus suis adscribere sunt conati. Accedit, quod multi Blassii sagacissimam coniecturam, qua Diodori rerum ordinem coniungebat cum Isocratis de bello Cyprio verbis, non plane intellectam ex Diodori verbis retellebant, sicut nuperrime Mesk, quamquam ut Blassio

[1]) Wilamowitz-Moellendorff, Aristoteles und Athen II p. 380 (1893).

repugnemus. Diodori auctoritatem necesse est neglegamus. Itaque quibus argumentis usus equidem res gestas attribuam temporibus suis, exponere supervacaneum esse non puto.

Exstat titulus, quo legatos Corcyraeorum aliorumque Athenas venisse constat, ut reciperentur in numerum sociorum, petituros altera prytania Hippodamante archonte, id est mense fere Septembri 375.[1]) Hoc factum esse oportet, postquam acciderunt, quae tradit Xenophon V, 4, 64; nam cum inveniamus verba haec: *ὁ μέντοι Τιμόθεος περιπλεύσας Κέρκυραν μὲν εὐθὺς ὑφ' ἑαυτῷ ἐποιήσατο· οὐ μέντοι ἠνδραποδίσατο οὐδὲ ἄνδρας ἐφυγάδευσεν οὐδὲ νόμους μετέστησεν*, Corcyraeos eo tempore nondum fuisse Atheniensibus reconciliatos consentaneum est. Idcirco Timotheum aggressum esse Corcyram non post annum 375 credo, neque post ver 376 infecta re a Cithaerone redisse Cleombrotum regem, id quod videmus ex loco V, 4, 63. Praecedente anno V, 4, 47:58.
Agesilaus alterum irrupit in fines Boeoticos, cumque Thebani duobus annis impedirentur, ne messem facerent, bellum V, 4, 56.
est coeptum non post ver 378. Iam vero Thebas esse liberatas priore hiemis parte scimus non solum ex eo, quod Cleombrotus rex profectus est cum exercitu hieme, sed etiam V, 4, 14.
polemarchi, quos vocabant, munere paene sunt defuncti, V, 4, 4.
Thebanorumque annus incipiebat eodem fere tempore, quo his temporibus terminamus, solstitio brumali.[2]) Ergo omnes fere viri docti inter se consentiunt Thebas esse liberatas mense Decembri 379, certe posteriori tempori hoc tribuere non licet.

Sed haec certa. Nunc occurrunt magnae virorum doctorum discrepantiae de belli Olynthiaci Phliasiique tempore certantium. Atque ex Xenophonte quidem constat bellum Phliasium esse exortum, postquam Agesipolis rex profectus esset ad Olynthum, finitumque XX mensibus V, 3, 10.

[1]) Dittenberger l. c. I² Nr. 83 (1898). — [2]) Plut. Pelop. 24.

V, 3, 25. postea, et Agesipolidem priore anni cuiusdam parte in
V, 3, 18. Chalcidica rem gessisse. Praeterea omnes, quorum inspexerim libros, viri docti verbis: *ὁ δὲ Ἀγησίπολις νόσῳ ἐκ τῆς Μακεδονίας προαιῶν ἔθετο πρὸς τῇ πόλει τῶν Ὀλυνθίων τὰ ὅπλα κτέ* Xenophontem tradidisse concedunt Agesipolidem eodem vere, quo frumentum diriperet, bellum coepisse eodemque anno esse mortuum. Quibuscum si comparabimus,
V, 3, 9. quae supra exstant de Agesipolidis itinere inito, rex eodem vere, quo invasit Olynthiorum fines, domo discessisse videbitur. Hoc cum ne ego quidem possim negare, priusquam comprobavero tamen alia quoque ratione haec ipsa scriptoris verba posse intellegi, oportet demonstrare, quaecumque adhuc protulerint viri docti, non sufficere ad illam litem disceptandam.

Quorum ab altera parte stant Beloch et Fabricius, ab altera Judeich, quem secutus est Meyer. Illi sicut iam pridem Clinton,[1]) re vera Agesipolidem eodem anno Lacedaemone profectum mortuumque esse ideoque Phliasios esse obsessos a vere quodam usque ad hiemem anni insequentis sunt arbitrati. Quamobrem Fabricius, cum mortem regis tribuat anno 380, Phliunta Olynthumque urbes esse expugnatas post Thebas liberatas affirmavit argumentisque comprobabat. Ac primum quidem sagacissime coniecit[2]) non
V, 3, 27. ita obstare sententiae suae, quod et Xenophon et Diodorus[3]) alio ordine tractaverint res; a Thebis enim liberatis novam coepisse aetatem, qua deleretur imperium Lacedaemoniorum, priorem Phliunte Olynthoque captis esse finitam, quibus rebus eorum dominatio maxime esset demonstrata. Qua re etsi non refellitur Fabricii sententia, tamen hoc non est pro argumento habendum. Gravius est, quod dicit[4]) Thebanos melius fecisse seditionem, dum Lacedaemoniis alii quoque

[1]) Clinton, Fasti Hellenici II p. 114, 222 (1841). — [2]) Fabricius, Die Befreiung Thebens, Rheinisches Museum XLVIII p. 462. — [3]) Diod. XV, 23, 3/4. — [4]) Fabricius l. c. p. 464.

Graecorum resisterent, quam omnibus bellis compositis. Sed ne hoc quidem stare potest. Nam coniurati non tam contra Lacedaemonios bellum incipere, quam patriam a tyrannis Phoebidaque liberare sibi proposuerant, multoque difficilius erat cum paucis viris urbem opprimere quam patria restituta cum omnibus civibus resistere Lacedaemoniis. Horum igitur rebus neglectis captanda erat optimatium opprimendorum occasio. Immo ex loco Isocratis[1]) videmus[2]) Thebanos statim post urbem expugnatam cum Lacedaemoniis de pace egisse. Et quae disseruit Fabricius[3]) de Diodori, Plutarchi, Dinarchi memoria, qui Athenienses tradunt primum toto exercitu adiuvisse Thebanos, deinde subito desiisse, id quod Phliunte Olynthoque captis factum esse contendit, ea omnia iam pridem profligavit Grote,[4]) quem ut redargueret haud scio an non contigerit Fabricio. Accedit, quod ne illa quidem, si vera esset, repentina Atheniensium animorum commutatione satis constaret, quibus causis abalienati essent Athenienses, quoniam Sphodriae in Piraeum expeditione comprobantur res a Xenophonte narratae, cum tradat Athenienses esse perterritos, quod bellum V, 4, 19.
gereretur in Boeotia, non ad Corinthum. Sed Fabricii sententiam falsam esse et Phliunta quidem urbem captam esse, antequam Lacedaemonii expulsi sunt Thebis, manifestum est ex eo, quod Agesilaus rex, qui ad Phliunta remansit, dum urbs esset expugnata, de seditione Thebana certior V, 3, 25.
est factus Lacedaemone. Qua re certum esse puto Xeno- V, 4, 13.
phontis Diodorique rerum ordinem esse servandum illasque urbes esse expugnatas, antequam liberatae essent Thebae, id est ante mensem Decembrem 379.

Iam igitur quaerendum est, quomodo Beloch illam, quam commemoravimus, difficultatem amoverit. Quem sequi equidem minime possum: nam et Panegyrico illisque,

---

[1]) Isocr. XIV, 29. — [2]) Beloch, Gr. Gesch. II p. 234. — [3]) Fabricius l. c. p. 468—471. — [4]) Grote l. c. V p. 345[37].

quibus descriptus esset, compluribus mensibus usus est,[1]) et Agesipolidem vere protectum mense Sextili mortuum esse pro certo affirmans Phliunta a media aestate eiusdem anni obsessam esse credit ideoque haec omnia anno 381 tribuere cogitur, ne Phliunta XX mensibus postea expugnatam esse vere 378 post Thebas liberatas putet. Cui sententiae obstant ea, quae de Cleombroto rege a Diodoro comperimus. Tradit[2]) enim illum regnasse IX annos, quamobrem quoniam mortuus est in pugna Leuctrica aestate 371[3]) archonte quidem Phrasiclide,[4]) regnum iniit vel anno Lacedaemonio 381/0 vel anno Atheniensi 380/79, certe non mense Sextili 381, qui neutri potest dari. Atque hic eo magis servanda est Diodori memoria, quod nullo loco aperte tradit Xenophon, qua anni parte Agesipolis Lacedaemone sit egressus.

Ne Belochii quidem sententia accepta iam audiamus Iudeichium, quem sequitur Meyer.[5]) Is quoque Helleni-
V, 3, 9:18. corum verba ita intellegit[6]) sicut illi, corrigendum autem esse Xenophontem putat eis, quae inveniamus apud Diodorum, qui tradiderit[7]) Agesipolidem statim autumno, quo pervenisset in Chalcidicam, cum Olynthiis bellavisse. Sed hoc falsum est, neque enim Siculus alias res gestas, quas omiserit Xenophon, narravit, sed plane easdem, quas hic tribuit veri insequenti. Scripsit Diodorus: *οὗτος δὲ καταντήσας εἰς τὴν τῶν Ὀλυνθίων χώραν καὶ παραλαβὼν τοὺς προϋπάρχοντας ἐν τῇ παρεμβολῇ στρατιώτας διεπολέμει πρὸς*
V, 3, 18. *τοὺς ἐγχωρίους*, apud Xenophontem legimus *εἰς τὰς συμμαχίδας ἰὼν αὐτῶν ἔφθειρε τὸν σῖτον· Τορώνην δὲ καὶ προσβαλὼν εἷλε κατὰ κράτος*. Pergit Siculus: *οἱ δ' Ὀλύνθιοι μεγάλην μὲν μάχην οὐδεμίαν κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν συνεστήσαντο, ἀκροβολισμοὺς δὲ καὶ βραχείας συμπλοκὰς ποιούμενοι διετέλεσαν,*

---

[1]) Beloch, Gr. Gesch. II p. 228[1], 219[1]. — [2]) Diod. XV, 23, 2. — [3]) Plut. Ages. 18. Camillus 19. — [4]) Pausan. VIII, 27, 6. — [5]) Meyer l. c. V p. 305. — [6]) Judeich l. c. p. 138. — [7]) Diod. XV, 22, 2.

καταπεπληγμένου τὴν μετὰ τοῦ βασιλέως δύναμιν, in Hellenicis eodem loco occurrit: *ὁ δὲ Ἀγησίπολις εὐθὺς ἐκ τῆς Μακεδονίας προσιὼν ἔθετο πρὸς τῇ πόλει τῶν Ὀλυνθίων τὰ ὅπλα. ἐπεὶ δὲ οὐδεὶς ἀντεξῄει αὐτῷ* et quae sequuntur. Nonne haec de eisdem factis sunt dicta? praesertim cum apud Diodorum inter haec Agesipolidisque mortem [1]) nihil omnino inveniamus de bello gesto? Atque cum eadem a Diodoro narrentur anno praecedente, a Xenophonte eodem, quo obierit rex, quis dubitabit hunc sequi, neglegere illum, quem omnia suo arbitrio singulis annis tribuisse satis sit cognitum? Praeterea quantillae sit auctoritatis Siculus, quem Breitenbach quoque citavit, [2]) ex eo elucet, quod uno anno 382 1 tradidit et Eudamidam profectum esse [3]) et Teleutiam cecidisse, [4]) altero advenisse Agesipolidem, [5]) tertio eundem obisse. [6]) An credit Iudeich in verbis Xenophontis latere regem cum exercitu per totam hiemem ante Olynthum fuisse? At loco *ἐπεὶ δὲ οὐδεὶς ἀντεξῄει αὐτῷ* apertum est illum paucos dies ante urbem moratum pugnam commissum iri exspectavisse, deinde abisse.

Itaque Diodorum missum faciamus videamusque, num contra omnium fere virorum doctorum sententias comprobare possimus regem profectum esse autumno 381, tamen invasisse fines Chalcidicos vere 380, quem rerum ordinem restituit Breitenbach [7]) nullis tamen causis adiectis. Atque conferendae sunt res a Teleutia gestae. Hic hostibus victis hieme appropinquante dimisit socios, bellum interrupit ita, V, 2, 43.
ut Olynthii ipsi modo victi hostes aggredi sint ausi. Quanto verisimilius est Agesipolidem quoque hieme nihil gessisse, cum hostes brevi antea magnam victoriam essent adepti. Olynthum enim obsidere ne proximo quidem vere instituit, ad pugnam autem faciendam aut ad terram

[1]) Diod. XV, 23, 2. — [2]) Breitenbach, Xenophons Hellenica III (1876) p. 49 adn. — [3]) Diod. XV, 20, 3. — [4]) Diod. XV, 21, 2. — [5]) Diod. XV, 22, 2. — [6]) Diod. XV, 23. 2. — [7]) Breitenbach l. c. II p. LXXXVII.

devastandam vix erat idonea haec anni pars. Neque vero quicquam habet offensionis regem autumno exeunte iter fecisse ita, ut nonnullos menses cum exercitu hibernaret in Macedonia, antequam bellum inciperet. Teleutiae enim copiae
V. 3, 6. clade apud Olynthum accepta plane disiectae colligendae animique restituendi erant. Praeterea quoniam ducem amiserant hostes paeneque erant profligati, nisi autumno advenisset rex magno exercitu, Olynthios Acanthiorum aliorumque fines invasuros imperiumque Chalcidicae appeti-
V. 2, 13; 43. turos fuisse credo. Immo Xenophon ipse hoc pronuntiavit,
V. 3, 8. cum scriberet Agesipolidem esse missum *ὅπως τό τε φρόνημα τῶν νενικηκότων κατασβεσθείη καὶ μὴ μάτην τὰ πεπονημένα γένοιτο.* Accedit, quod Xenophon bellum Olynthiacum, postquam profectus est ille, ut res Phliasiorum tractaret,
V. 3, 9. interrupit, qua re consentaneum est Agesipolidis iter aliquanto ante impetum in Olynthios factum esse.

Quibus rebus cum Phliunta esse expugnatam non post mensem Novembrem 379 Agesipolidemque, quippe qui plus XX mensibus ante sit profectus, mortuum esse non post aestatem 380 constare putem, quoniam eum per totum annum cum exercitu in Macedonia remansisse absurdum est credere, non solum ex eis, quae de Cleombroti regis IX annis tradidit Diodorus, sed etiam ex Aristidis oratoris memoria verisimile videtur Agesipolidem ipsa aestate 380 esse mortuum. Ac primum quidem oportet Belochii sententiam redarguere, qua contendit [1]) illum de vita decessisse
V. 3, 18. mense Sextili Xenophontis verba *κατὰ θέρους ἀκμήν* sic interpretatus, quasi vero mense Sextili maturuerit frumentum. Legimus enim illum Chalcidicensium in agris delevisse
V. 3, 18. frumentum: *ἐφθειρε τὸν σῖτον*, pergit scriptor: *Τορώνην δὲ καὶ προσβαλὼν εἷλε κατὰ κράτος.* Omnes credo imprimis vocabulo *καί* adductos intellegere Toronam oppidum eodem ipso tempore, quo devastarentur fines, captum esse, prae-

[1]) Beloch, Gr. Gesch. II p. 228[1].

sertim cum ex itinere sit expugnatum. Iam sequuntur haec: *ἐν δὲ τούτοις ὄντα κατὰ θέρος ἀκμὴν καῦμα περιέχει λαμβάνει αὐτόν*, eisdem igitur diebus, quibus agros diripuit, mortuus est Agesipolis. Atqui frumentum delere non potuit, nisi antequam hostes messem facere coeperunt, hoc est non post medium mensem Iunium, eodem ergo tempore Torona est potitus ille eodemque tempore mortuus; neque his obstat, quod Plutarchus brumam adscripsit hiemis *ἀκμαῖς*,[1]) neque Thucydidea illa *θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος*.[2]) Manifestum est igitur, etiamsi anno 381 crederemus illum obisse, Teleutiae mortem assignandam esse non eidem anno, sicut fecit Beloch,[3]) sed praecedenti aut 382 aut 381, quoniam illum vicisse, deinde *προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου* cecidisse, novum exercitum comparatum esse, advenisse, bellum gessisse uno vere cogitari vix potest, qua de re omnes praeter Belochium consentiunt. V, 3, 1–2. V, 3, 3–6. V, 3, 8–9. 18

Atque Aristides quidem memoriae prodidit Cadmeam captam esse Pythiis, quae celebrata sunt mense Sextili vel Septembri ineunte[4]) 382. Sed Aristidem eo loco haud ita ipsos ludorum dies, quam pacem illis ludis sacratam, quam *ἐκεχειρίαν* vocat Thucydides,[5]) intellexisse credo, scripsit enim haec:[6]) *σπονδαὶ τοίνυν αἱ μὲν ἄλλαι παρηνομήθησαν, καὶ τοῦτο μὲν Ἰσθμίων ὄντων ἡ Καδμεία κατελήφθη*. Quam pacem Mommsenium[7]) secutus haud paucorum dierum fuisse arbitror ita, ut Cadmea capta esse possit aliquanto ante ipsos ludos eius anni 382. Et quoniam vera sunt, quae eodem loco commemoravit Aristides de Isthmiis anni 390 et de Olympiis anni 364, quaeque etiam apud Xenophontem invenimus, nescio cur hoc non accipiamus, dummodo ne rebus a Xenophonte traditis repugnet, id quod credit Beloch, Fabricius probare studuit. Contendit enim IV, 5, 1; VII, 4, 28.

[1]) Plut. Pelop. 24. — [2]) Thuc. II, 19, 1. — [3]) Beloch, Griech. Gesch. II p. 228[1]. — [4]) Schoemann-Lipsius, Griechische Altertümer II (1902) p. 71[2]. — [5]) Thuc. V, 1. — [6]) Aristid. XIX. p. 419 I. Dindorfii. — [7]) A. Mommsen, Delphika p. 163 (1878).

fieri non potuisse, ut Teleutias eadem aestate, qua caperetur Cadmea, apud Olynthum pugnam committeret, ideoque cum mortuus sit Teleutias vere 381, protectus 382, Thebas occupatas esse anno 383 affirmat. Ac primum quidem dicit[1] in causa Ismeniae agenda, quae antequam missus esset Teleutias, esset finita, multum temporis esse consumptum. Neque tamen hoc possum concedere, cum apud
V, 2, 32. Xenophontem legamus Leontiadem statim post Cadmeam occupatam Lacedaemonem venisse, quo facto Lacedaemonii Ismeniam reum faciunt sociorumque legatis Thebas convocatis damnant, id quod uno mense facile est peractum. Atque exercitum comparare[2] multo antea coeperant Pelo-
V, 2, 20. ponnesii, ut ne hac quidem re cogamur arbitrari Teleutiam iter inisse magno temporis spatio post Ismeniae mortem. Deinde contendit Fabricius[3] Thebanorum res aestate eius anni, quo capta esset arx, nondum sic esse constitutas, ut Teleutiam contra Olynthios sequerentur: at Xenophon ipse brevi ante narravit Leontiadis sodales Lacedaemoniis magis
V, 2, 36. esse obsecutos, quam illi imperarent. Et quamquam concedendum est in Hellenicis scriptum esse Teleutiam haud
V, 2, 38 celeriter iter fecisse,[2] tamen eo loco 'haud celeriter' non idem est atque 'lente', sed sensus est hic: etsi haud celerius exercitum duxit, tamen socios diripi minime est passus. Itaque cum inde a Lacedaemone usque ad Potidaeam habeamus fere D vel DC milia metrum, quae vocamus, cumque Herodotus exercitui Graecorum tribuerit in diem stadia CL,[3] id est circiter XXVII milia metrum, exercitus Teleutiae illam viam perficere potuit XIX vel XXII diebus. Quare cum eo itinere contrivisse plus unum mensem et dimidium vix putem. Neque eo, quod cum Amynta Derdaque de foedere agebat, moratus est,[4] quoniam hoc fecit, dum
V, 2, 38 ducit exercitum: scripsit enim Xenophon προάγων δὲ

[1]) Fabricius l. c. p. 458. — [2]) Fabricius l. c. p. 458. — [3]) Herod. V, 53. — [4]) Fabricius l. c. p. 458.

καὶ πρὸς Ἀμύνταν et brevi postea ταῦτα δὲ ποιῶν . . ἀφίκετο εἰς τὴν ἑαυτῶν συμμαχίδα. Postquam autem Potidaeam venit, contra Olynthios profectus acie vincit hostes finibusque vastatis exercitum reducit fortasse Potidaeam, quo non solum praecedente anno sed etiam insequente se receperint Lacedaemonii. Cumque Potidaea ab Olyntho X fere metrum milia abesset, ad hanc expeditionem perficiendam non tam mensibus quam diebus vel horis opus erat. Iam missi sunt facti socii hieme credo appropinquante. Quae cum ita sint, etsi Aristidis testimonio careremus, Teleutiam altera potius aestatis parte quam priore in Chalcidiam advenisse putaremus, praesertim cum in tanta hostium propinquitate sociorum copiae ante Novembrem ineuntem vix dimitterentur. Quare si verum esset Teleutiam alio atque quo caperetur Cadmea profectum esse anno, quoniam altera aestatis parte eum iter fecisse verisimile videtur, Xenophon Lacedaemonios Thebis occupatis multo magis strenue auxilium misisse in Chalcidicam dicere vix potuit. Certe inde a mense Sextili exeunte usque ad Novembrem ineuntem satis multum temporis habemus, cui universam Teleutiae expeditionem assignemus. Itaque cum Teleutiam cecidisse aut anno 381 aut antea viderimus,[1]) ideoque haec acciderint aut anno 382 aut antea, non video, cur Aristidi fidem abrogemus, atque eius et Diodori, de quo egimus,[2]) auctoritate satis comprobari puto Thebas esse occupatas anno 382, anno 381 Teleutiam obisse, Agesipolidem anno 380.

V. 2, 43.
V, 2, 24; 3, 6.
V, 2, 37.

4. DE PANEGYRICO BELLOQUE CYPRIO

Quibus rebus absolutis nunc veniamus ad Panegyricum. In quo una quidem exstat paragraphus,[3]) quae scripta est, cum obsidebatur et Phlius et Olynthus. Atque illam urbem aggressus est Agesilaus, postquam Agesipolis ad Olynthum

[1]) p. 66, 67. — [2]) p. 64. — [3]) Isocr. IV, 126.

V. 3. 10 abiit autumno fere 381, quo tempore Olynthus minime est obsessa, quoniam ille vere demum insequente fines hostium invasit, sicut supra demonstravimus.[1] Sed ne tum quidem obsidione clausit urbem: nam et Xenophon et Diodorus tradunt[2] regem, cum ante urbem aciem instruxisset, re infecta abisse sociorumque fines depopulatum Torona oppido expugnato, quod longe abest ab Olyntho, morbo affectum mortuumque esse mense fere Iunio. Tum advenit Polybiades, credo non ante mensem Iunium exeuntem, et is quidem cinxit urbem commeatuque interclusit, legimus enim

V. 3. 26. apud Xenophontem *Καὶ ὁ Πολυβιάδης δὲ δι' παντάπασι κακῶς ἔχοντας λιμῷ τοὺς Ὀλυνθίους διὰ τὸ μήτ' ἐκ τῆς γῆς λαμβάνειν μήτε κατὰ θάλατταν εἰσπλεῖσθαι σῖτον αὐτοῖς*, cui rei, quamquam est summa obsidionis, minime studuit Agesipolis) *ἐπέστειλε πέμψαι εἰς Λακεδαίμονα περὶ εἰρήνης*. Diodorus de Polybiade haec:[3] *αἰεὶ δὲ μᾶλλον εὐημερῶν καὶ πλείοσι μάχαις νικήσας συνέκλεισε τοὺς Ὀλυνθίους εἰς πολιορκίαν*, quibus verbis apparet antea urbem nondum fuisse inclusam. Hoc ante mensem Quintilem exeuntem 380 fieri vix potuit, itaque Panegyricus vel illa eius pars scripta est non ante mensem Sextilem ineuntem 380, neque stare potest Iudeichii sententia, qui hanc orationem tribuit[4] ultimis anni 381 mensibus eo quoque tempore Olynthum obsessam esse arbitratus.

Ergo anno 380 nondum erat finitum bellum Cyprium, cuius Isocrates mentionem facit non uno loco, imprimis paraprapho 141. Cui sententiae cum valde repugnet Diodori memoria, qua legimus bellum esse compositum anno 385,[5] variis rationibus viri docti ex utroque scriptore veritatem cognoscere conati sunt. Ex quibus praeter eos, quibuscum consentio, Belochium Meyeramque, unum laudo Blassium: recte enim intellexit aut Diodorum aut Isocratem auctorem

---

[1]) p. 65. — [2]) p. 64. — [3]) Diod. XV, 23, 3. — [4]) Judeich l. c. p. 143. — [5]) Diod. XV, 9, 2.

esse sequendum ita, ut quaecumque obstarent in alterius verbis, sint corrigenda. Atque totus Blassii error latet in verbis his:[1]) 'so wird sich dem Geschichtsschreiber Ephoros der Panegyriker Isocrates irgendwie zu fügen haben', Ephorum enim, quippe qui annales non scripserit, de annis ipsis cum quaeramus, missum faciamus, Diodori autem ipsius auctoritas minoris est aestimanda. Neque vero certis causis refutari potest Blassii coniectura, nam sagacissime rerum ordinem restituit ita Engelum[2]) partim secutus:[3]) Anno 395 Euagoras civitatibus Cypri insulae bellum infert, eodem tempore incipit bellum Aegyptium, anno 391 rex Persarum Cypriis auxilium ferre instituit, Euagorae Athenienses succurrunt, pax est facta anno 385. Eo igitur anno locus ille Panegyrici[4]) est scriptus, quem commutare aut delere anno 380, cum ederet orationem, neglexit Isocrates. Ita Blass; atque quod alio quoque Panegyrici loco[5]) utitur,[6]) quo orator mentionem faciat Cyprii belli quasi peracti, recte ei adversatus est Friedrich, cum diceret[7]) verbis *τοὺς δὲ μεθ' αὑτῶν εἰς Κύπρον στρατευσαμένους μᾶλλον ἢ τοὺς αἰχμαλώτους ἔβριζον* singula quaedam priore belli parte facta indicari. Licet suspicemur Hecatomno duci Persarum, quippe qui Euogorae faveret,[8]) milites suos parum curae fuisse.[9]) At alia, quae contra Blassium sunt prolata, nuperrime a Meskio, stare non possunt: neque enim Friedrich[10]) neque Mesk[11]) plane intellexerunt illius sententiam, id quod Drerup ipse concessit.[12]) Minime illud neglexit

---

[1]) Blass l. c. II p. 253. — [2]) Engel, De tempore, quo divulgatus sit Isocratis Panegyricus, commentatio p. 4 ss. Programm von Stargard 1861. — [3]) Blass l. c. II p. 253/4. — [4]) Isocr. IV, 141. — [5]) Isocr. IV, 153. — [6]) Blass l. c. II p. 254. — [7]) Friedrich, Zum Panegyrikos des Isokrates. Fleckeisens Jahrbücher für klassische Philologie CXLVII p. 7. — [8]) Diod. XV, 2, 3. — [9]) Diod. XIV, 98, 3. — [10]) Friedrich l. c. p. 1, 6—7. — [11]) Mesk, Zum kyprischen Krieg. Wiener Studien XXIV p. 310. — [12]) Drerup, Epikritisches zum Panegyrikus des Isokrates. Philologus LIV p. 647.

Blass et Diodorum[1]) et Isocratem alio loco[2]) bello tribuere annos X, quos credit[3]) fuisse inde a 395 usque ad 385, cum Diodorus eodem anno 391 o narret et Euagoram regnum inisse atque Amathusios aliosque aggressum esse et regem Persarum bellum inchoasse,[4]) quae uno anno accidere vix potuerunt. Quare nullo modo impedimur, quin sicut prima Euagorae facta ita bellum quoque Amathusiis illatum priori cuidam anno adscribamus.[5]) Xenophontis autem locum, cuius definiendi causa totam hanc quaestionem
IV. 8. 24. instituimus, hic missum faciamus, quoniam ex eo minime apparet eo ipso tempore coeptum esse bellum, id quod affirmat Mesk.[6]) Cur antea quoque Euagoram urbes Cypri insulae bello persecutum esse negemus?

Denique Blasii adversarii sex quibusdam annis sunt usi, qui unde sint computandi, valde decertatur a viris doctis. Scripsit Isocrates haec:[7]) *μετὰ δὲ ταῦτα* (scilicet bellum Aegyptium) *ἐπ' Εὐαγόραν στρατεύσας, ὃς ἄρχει μὲν μιᾶς πόλεως, ἐν δὲ ταῖς συνθήκαις ἔκδοτός ἐστιν, οἰκῶν δὲ νῆσον κατὰ μὲν θάλατταν προδεδυστύχηκεν, ὑπὲρ δὲ τῆς χώρας τρισχιλίους ἔχει μόνον πελταστάς, ἀλλ' ὅμως οὕτω ταπεινῆς δυναμέως οὐ δύναται περιγενέσθαι βασιλεὺς πολεμῶν, ἀλλ' ἤδη μὲν ἓξ ἔτη διατέτριφεν κτέ.* Hos sex annos incipere a pugna navali apud Citium commissa[8]) vel a pace Antalcidea[9]) nullis argumentis potest comprobari, quoniam verba *κατὰ μὲν θάλατταν προδεδυστύχηκεν* vel *ἐν δὲ ταῖς συνθήκαις ἔκδοτός ἐστιν* adeo aliis sententiis sunt inclusa, quae sequuntur pronomen relativum *ὅς*, quibusque Euagorae calamitates ostendit orator, ut eis terminandos esse VI annos illos vix credam. Quid? quod *κατὰ μὲν θάλατταν προδεδυστύχηκεν*, scilicet apud Citium, vocabulis *μὲν δὲ* artissime coniuncta

---

[1]) Diod. XV, 9, 2. — [2]) Isocr. IX, 64. — [3]) Blass l. c. II p. 254. — [4]) Diod. XIV, 98. — [5]) Judeich l. c. p. 120. — [6]) Mesk l. c. p. 309. — [7]) Isocr. IV, 141. — [8]) Judeich l. c. p. 122[1]; Mesk l. c. p. 309. — [9]) Meyer l. c. V p. 259; Beloch, Gr. Gesch. II p. 219[1].

sunt cum his: *ὑπὲρ δὲ τῆς χώρας τριχιλίους ἔχει μόνον πελταστάς*, quibus certe finem non initium illorum VI annorum respicit Isocrates? Sed cum summa sententiae sit haec: *μετὰ δὲ ταῦτ' ἐπ' Εὐαγόραν στρατεύσας – οὐ δύναται περιγενέσθαι βασιλεὺς πολεμῶν, ἀλλ' ἤδη μὲν ἓξ ἔτη διατέτριφεν*, nihil aliud possumus intellegere nisi bellum vel potius expeditionem institutam esse sex annis, antequam haec scriberentur, verum post bellum Aegyptium. Hoc Blass quoque vidit[1]) bellumque Cyprium assignavit annis inde a 391 usque ad 385 sed ita, ut ultimis tantum annis 386 atque 385 bellum re vera esse gestum diceret. Iniuria enim permulti Sieversium[2]) secuti sunt arbitrati bellum Cyprium post illos annos, quibus strenue pugnavissent Persae,[3]) nondum esse compositum, sed nonnullos per annos continuatum. Quamquam Diodorus eo, de quo certatur, loco non aperte tradit bellum ultimis potissimum duobus annis esse gestum, sicut contendunt Blass,[4]) Beloch,[5]) Meyer,[6]) tamen hoc apparet ex eo, quod supra tarditatem Persarum eisdem fere verbis vituperavit. Scripsit enim hic:[7]) *ὁ μὲν οὖν Κυπριακὸς πόλεμος δεκαετὴς σχεδὸν γεγενημένος καὶ τὸ πλέον τοῦ χρόνου περὶ παρασκευὰς ἀσχοληθείς, διετῆ χρόνον τὸν ἐπὶ πᾶσι συνεχῶς πολεμηθεὶς τοῦτον τὸν τρόπον κατελύθη*, antea:[8]) *Ἀρταξέρξης ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς ἐστράτευσεν ἐπ' Εὐαγόραν τὸν Κύπρου βασιλέα . πολὺν δὲ χρόνον ἀσχοληθεὶς περὶ τὰς εἰς τὸν πόλεμον παρασκευάς κτέ.* Itaque Blassii coniectura in omnia, quae sunt tradita de bello Cyprio, quadrat, totaque lis ex auctoritate sola scriptorum est disceptanda, atque oportet eligamus, utrum Diodorum in rebus per singulos annos distribuendis errorem V annorum commisisse an Isocratem orationem pessime emendatam edidisse credamus. Atque hic quidem Blassium non laudo, nam quamquam Siculus raro tot annis transmutavit

[1]) Blass l. c. II p. 253. — [2]) Sievers l. c. p. 165[84]. — [3]) Diod. XV, 9, 2. — [4]) Blass l. c. II p. 253. — [5]) Beloch, Gr. Gesch. II p. 219[1]. — [6]) Meyer l. c. V p. 312. — [7]) Diod. XV, 9, 2. — [8]) Diod. XV, 2, 1.

res, tamen hoc potissimum loco facile intellegi potest, quomodo peccatum sit exortum. Nam si Panegyricus scriptus est anno 380, ex eo, quem citavimus, loco videmus sex annis ante coeptam esse Artaxerxis in Euageram expeditionem, itaque recte Diodorus quoque Mystichida archonte 386/5 tradit: *Ἀρταξέρξης ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς ἐστράτευσεν ἐπ' Εὐαγόραν*,[1]) quod bellum paratum esse brevi post pacem Antalcideam ipse supra narravit.[2]) Sed tum illo *πολὺν δὲ χρόνον ἀσχοληθεὶς περὶ τὰς εἰς τὸν πόλεμον παρασκευάς*, quo IV annorum spatium indicabatur apud auctorem eius, menses tantum nonnullos significari arbitratus aut neglegentia adductus statim eidem anno 386/5 priorem veri belli partem, anno 381 gestam, adiecit. Blassii sententia refutata ne ea quidem possunt stare, quae alii de Panegyrico ante annum 380 edito coniecerunt. Atque omitto Engelum, qui eum bis publici iuris esse factum et anno 385 et anno 381 credit,[3]) paragraphos dicit inde a 122. usque ad 132. postea esse adiectas, quoniam anno 385 talem Panegyricum omnino non potuisse edere Isocratem multi recte contenderunt.[4]) Sed etiam quae suspicatus est Friedrich Xenophontem usum esse Panegyrico in Hellenicis conscribendis[5]) aut Panegyricum missum esse Agesilao,[6]) Reuss bene profligavit.[7])

Itaque hanc orationem tam bene compositam eodem tempore universam esse editam mihi persuasi neque, cum antea viderimus Olynthi urbis obsidionem commemorari, bellum Cyprium ante mensem Sextilem 380 finitum esse potest. Quibus rebus expositis iam rediremus ad Xenophontem, nisi novae statim virorum doctorum dissensiones orerentur. Neque enim desunt, qui dicant bellum Cyprium tribuendum esse annis 386—377 vel 387—378, quorum

[1]) Diod. XV, 2, 1. — [2]) Diod. XIV, 110, 5. — [3]) Engel l. c. p. 22. — [4]) Meyer l. c. V p. 372. — [5]) Friedrich l. c. p. 8. — [6]) Friedrich l. c. p. 17. — [7]) Reuss, Isocrates Panegyricus und der cyprische Krieg. Programm von Trarbach 1894 p. 3—6.

primus erat Clinton,[1]) ultimus, quantum scio, Reuss. Ad hanc sententiam comprobandam nisi sunt et illis, quos tractavimus, sex annis Isocratis et Theopompo. Neque vero obstat solus Xenophon, quem coniectura de medio tollere conatus est Reuss, sed etiam Isocrates. Nam cum supra comprobaverimus ultimis potissimum duobus annis strenue bellum esse gestum pugnamque apud Citium commissam esse nono belli anno, qua facta Salamis oppidum est obsessum. Panegyricum quoque aut nono aut decimo belli anno tribuere necesse est, quoniam Salaminis obsessae facit mentionem[2]) orator. Sed quo iure idem brevi infra[3]) sex annos bellum durasse scripsit? Propterea censeo, quia eo loco non totum intellegit bellum, sed eam partem, quae sequitur bellum Aegyptium, incipit enim verbis *μετὰ δὲ ταῦτα*, absurdum autem est credere Euagoram quietum fuisse, dum Aegyptii regi Persarum resisterent, cuius belli tres annos Cyprii sex eo loco traditis adnumerabimus. Accedit, quod Diodorum quoque eodem anno 386 novam belli partem coepisse nemo negabit, qui comparaverit, quaecumque apud Siculum de Euagora invenerit.[4]) Neque vero solum nostra sententia defenditur verbis Isocratis, verum etiam Theopompi auctoritate uti vetantur adversarii. Cuius locum citavit[5]) Reuss, quo exstant haec:[6]) *καὶ ὡς Νεκτανέβιος παρειληφότος τὴν Αἴγυπτον βασιλείαν, πρὸς Λακεδαιμονίους πρέσβεις ἀπέστειλεν Εὐαγόρας· τίνα δὲ τρόπον ὁ περὶ Κύπρον αὐτῷ πόλεμος διελύθη.* Nectanabidem autem regnum inisse anno 378 plurimi credunt[7]) Manethone auctore, qua de re omitto quaerere: nam cum ex Panegyrico cognoscamus eius tempore, id est ante annum exeuntem 379, quo Phlius sit expugnata, Euagoram cum Lacedaemoniis egisse,[8]) ex Theopompi loco nihil aliud elucet, nisi eum Nectanabidis

[1]) Clinton l. c. II p. 336. — [2]) Isocr. IV, 134. — [3]) Isocr. IV, 141. — [4]) Diod. XIV, 98,3—4; 110,5; XV, 2,1. — [5]) Reuss l. c. p. 9. — [6]) Theopomp. frgm. 111 Muelleri I. — [7]) Meyer l. c. V p. 319. — [8]) Isocr. IV, 135.

regni initium sive recte sive falso adscripsisse tempori priori. Sed etiam apud Diodorum[1] Acoris rex Aegyptiorum post pacem factam vivit.

Neque melius Reuss est conatus locum, a quo tota haec quaestio cepit initium, Xenophonti abrogare, verba
IV, 8, 24. dico haec: *ὑπεναντιώτατα δὴ ταῦτα ἀμφότεροι ἑαυτοῖς πράττοντες· οἵ τε γὰρ Ἀθηναῖοι φίλῳ χρώμενοι βασιλεῖ συμμαχίαν ἔπεμπον Εὐαγόρᾳ τῷ πολεμοῦντι πρὸς βασιλέα, ὅ τε Τελευτίας Λακεδαιμονίων πολεμούντων βασιλεῖ τοὺς πλέοντας ἐπὶ τῷ ἐκείνου πολέμῳ διέφθειρεν.* Ac primum quidem affirmavit[2] *ὑπεναντιώτατα* nusquam inveniri nisi hoc loco, sed Simon monuit[3] apud Xenophontem exstare vocabula CCCXXII, quae semel occurrant, neque offensionem[4] praebere anacoluthiam, quam vocamus, recte contendit Friedrich.[5] Atque ut re vera haec sint interpolatoris bellumque Cyprium exortum sit anno 396, unde interpolator utrosque suis ipsos sociis detrimentum intulisse intellexit? Aut omnino sensu carent verba eius, aut ab alio auctore traditum erat eo ipso tempore Euagoram contra Persas bellum gessisse, neque est soluta difficultas. Quae autem Reuss ex Trogi, Diodori, Plutarchi memoria coniecit,[6] ea propterea minus habent auctoritatis, quod Diodori rerum ordine[7] nixus eundem de belli Cyprii initio IV de fine VII annis erravisse vult comprobare. Restat unum Reussii argumentum, quo dicit[8] Autophradatem, qui una cum Hecatomno contra Euagoram est profectus,[9] appellari a Theopompo satrapam Lydiae,[9] cuius provinciae satrapam usque ad annum 387 fuisse
V, 1, 28. Tiribazum ex Hellenicis appareat. Sed ne hoc quidem

---

[1]) Diod. XV, 9, 4. — [2]) Reuss, Isokrates Panegyricus und der kyprische Krieg. Fleckeisens Jahrbücher CXLIX p. 843; Progr. p. 11. — [3]) Simon, Zu Xenophons Hellenika. Fleckeisens Jahrb. CXXXVII p. 814. — [4]) Reuss Progr. p. 9. — [5]) Friedrich, Isocrates Panegyrikos und der kyprische Krieg. Fleckeisens Jahrbücher CXLIX p. 455. — [6]) Reuss, Progr. Trarbach 1894 p. 9. — [7]) Diod. XV, 41, 3. — [8]) Reuss, Progr. p. 10. — [9]) Theopomp. frgm. 111 Muelleri I.

testimonio commoveor, ut a Xenophontis Isocratisque memoria abscedam, praesertim cum non Theopompi ipsius verba sint tradita, sed a Photio excerpta, neque satis constet, utrum ea potissimum occasione Theopompus nominaverit eum satrapam Lydiae an postea eum satrapam factum esse tradiderit; apud Diodorum enim legimus eum satrapia esse functum anno 362/1.[1])

Quibus causis adductus Theopompo neglecto ex Xenophonte Isocrateque bellum Cyprium terminandum esse puto. Itaque cum supra viderimus a Teleutia Philocratem victum esse non post hiemem ineuntem 390,[2]) quo tempore exortum erat bellum, neque Panegyricum editum esse ante alteram aestatis partem 380,[3]) quo tempore nondum erat finitum bellum, his terminis quasi suspensi sunt decem anni, quos bellum duravisse cum Diodorus[4]) tum Isocrates[5]) est auctor. Neque expeditionem Philocratis exeunti aestati sed autumno vel hiemi ineunti 390 assignabimus, quia apud Diodorum invenimus *δεκαετὴς σχεδὸν γεγενημένος*.

Ergo autumno 390 rex Persarum instituit Euagorae bellum inferre, qui ipse quoque copias comparavit absque Atheniensibus auxilium petivit. Vere fortasse 389 aggressus est Hecatomnus Cyprum,[6]) sed quod Euagorae favebat,[7]) segnius rem gessit, neque potuit auxilia mittere Artaxerxes Aegyptio bello occupatus. Quo confecto[8]) post pacem Antalcideam[9]) Cyprum in dicionem suam redigere denuo animum induxit, sed in copiis colligendis comparandisque multi anni consumpti sunt, sicut antea evenit Cononi annis inde a 397 usque ad 395;[10]) quo factum est, ut Orontes Tiribazusque anno demum 381 Euagoram aggressi proelio navali fugarent urbemque Salamina obsidione clauderent.[11]) In summam necessitatem adductus anno insequente 380

[1]) Diod. XV, 90, 3. — [2]) p. 58. — [3]) p. 74. — [4]) Diod. XV, 9, 2. — [5]) Isocr. IX, 64. — [6]) Diod. XIV, 98, 4. — [7]) Diod. XV, 2, 3. — [8]) Isocr. IV, 141. — [9]) Diod. XIV, 110, 5; XV, 2, 1; Theopomp. frgm. 111 Muelleri I. — [10]) p. 28. — [11]) Diod. XV, 2—4.

tamen Euagoras ut servus pacem facere noluit, atque discordia inter duces Persarum exorta ita augebantur eorum, qui obsidebantur, animi, ut Orontes cum Euagora ut cum rege bellum componeret,[1] id quod accidit ultima aestate 380 brevi postquam scriptus est Panegyricus, in quo legamus[2] regem non iam desperare de victoria. De Aegyptio bello annis 389, 388, 387 tribuendo consentio cum Iudeichio[3] neque Meyero possum concedere ex Xeno-
V 1, 28. phonte apparere[4] Pharnabazum anno 387 in provincia fuisse, quoniam aperte tradit scriptor illum eo tempore non iam adfuisse ad Hellespontum. Cur igitur eodem anno, tertio belli, cum Aegyptiis non pugnaverit, non video.

5. DE ECDICO HIERACE ANTALCIDA TELEUTIA NAUARCHIS

Sed haec hactenus. Nunc redeamus ad bellum Corinthium navale. Atque vidimus[5] Teleutiam classem Philocratis delevisse neque ante autumnum 390 neque postea, qua re constat[6] nauarchos fuisse anni 389/8 Hieracem, 388/7 Antalcidam, 387/6 Teleutiam. Qui cum advenerit autumno 390 Cnidum, verisimile est Ecdicum haud ita diu
IV 8, 23. ibi moratum aestate vel vere 390 profectum esse nauarchumque fuisse anno 391/0. Itaque quamquam nauarchorum tabulam a Belochio restitutam repudiavimus,[7] tamen quae antea acciderunt eisdem, quibus ipse Meyerque temporibus possumus adscribere. Nam una cum Ecdico vere 390
D. S. 21. D. S. 19. Diphridas in Asiam venit, Thibron antea est interfectus
IV, 8, 17. autumno fere 391, advenit vere eiusdem anni, Struthas
D. S. 17. D. S. 18. 16 autumno praecedente 392, de pace egerunt Antalcidas Tiribazusque hieme fere 393/2, verum haec omnia incerta sunt.

---

[1]) Diod. XV, 8, 1—9, 2. — [2]) Isocr. IV, 141. — [3]) Judeich p. 153, 4. — [4]) Meyer l. c. V p. 312. — [5]) p. 77. — [6]) p. 57. — [7]) p. 54.

Sed cum constet Teleutiae victoriam esse dandam autumno 390, Hieracem ad naves venisse autumno 389, Thrasybuli profectionem certe tribuere possumus veri 389.[1]) Quem mortuum esse anno posteriore permulti sunt arbitrati, quos equidem non sequor. Citant[2]) enim verba Aristophanea:[3]) *οὐκοῦν δήπου τῆς πτωχείας πενίαν φαμὲν εἶναι ἀδελφήν. ὑμεῖς γ' οἵπερ καὶ Θρασυβούλῳ Διονύσιον εἶναι ὅμοιον*, ex quibus apparere putant Thrasybulum vere 388, quo docta est comoedia, inter vivos fuisse. Sed hoc loco Thrasybulus laudatur, quoniam Dionysio tyranno opponitur, id quod fieri potuit illo cum vivo tum mortuo,[4]) praesertim cum verbi *εἶναι* subiectum sit non Thrasybulus sed Dionysius. Quare cur poëta vivum quendam cum mortuo comparare non potuerit, non video. Sed etiam alia causa adductus Beloch mortem Thrasybuli tribuit veri 388, illi enim magistratum esse abrogatum comitiis, quibus novi eligerentur imperatores, credidit,[5]) quam coniecturam argumento carere ipse postea concessit.[6]) Nam quolibet tempore populus Atheniensis duces loco movere potuit apochirotonia, quam vocabant Graeci, quo facto illi domum ad iudicium redire debebant. Quare quo anni tempore decreverint Athenienses, ut reverteretur Thrasybulus,[7]) minime est notum. Brevi postquam ea de re certior est factus, cecidit, ut aequales non possent intellegere, utrum civibus pareret an resisteret. Neque quod Diodorus facta eius duobus annis distribuit,[8]) hoc ullius est momenti. Equidem eum aestate vel autumno 389 esse interfectum censeo rerum Rhodi gestarum causa. Teleutiam enim cognoscimus inde ab hieme 390/89 adiuvisse nobiles, quorum inimici, qui Atheniensibus faverent, depel- IV, 8, 24.
lerentur.[9]) Hoc accidisse credo Teleutia praesente neque

[1]) p. 57. — [2]) Beloch, Att. Pol. p. 355. — [3]) Aristoph. Plut. v. 549 Dindorfii. — [4]) Leeuwen, Ad Aristophanis Plutum. Mnemosyne XXX p. 404. — [5]) Beloch, Att. Pol. p. 354. — [6]) Beloch. Gr. Gesch. II p. 211[4]. — [7]) Lysias XXVIII, 5. — [8]) Diod. XIV, 94,2 : 99,4. — [9]) Diod. XIV, 99,5.

V. 1. 2. antea illum Aeginam esse profectum, sed postea, cum auxilio non iam opus esse Rhodiis putaret. Attamen Hierax nauarchus statim autumno 389, antequam Athenienses reli-
V. 1. 5. querunt insulam, Aegina Rhodum navigavit, iam igitur subsidio carebant nobiles. Quamobrem Athenienses eo ipso tempore classe aggressos esse nobiles Rhodiorum verisimile mihi quidem videtur, id quod factum esse Thrasybulo interfecto tradit Diodorus.[1])

Anaxibium Iphicratemque post illius mortem profectos vere 388 Chersonesum venisse ibique per illum annum rem
IV. 8. 32—39. gessisse credo. Aeginetae prima aestate 389 Thrasybuli ex-
V. 1. 1. peditione adducti bellum incipiunt, quo factum est, ut eadem aestate Pamphilus ab Atheniensibus contra eos mit-
V. 1. 2; V. 1. 5. teretur. Qui hieme ineunte 389 revertit, proximo anno
V. 1. 5. Eunomus contra Gorgopam piratasque oras Atticas tuebatur,
V. 1. 6. Antalcidas nauarchus factus autumno 388 hieme ad regem Persarum proficiscitur. Eidem autumno Gorgopae ex Eu-
V. 1. 7—9. nomo victoriam tribuerim, cum Chabriam vere et quidem
V. 1. 10 vere 387 Euagorae auxilio esse missum verisimile putem. Atque cum Athenienses id facturos fuisse non arbitrer, nisi antea contra Lacedaemonios bene rem gessissent, autumno
V. 1. 7. 388 assigno cladem Nicolochi, qui fortasse Anaxibii morte,
IV. 8. 39. ut Abydum se conferret, commotus est. Teleutias autumno
V. 1. 13. 387 suscepit naves, eodem tempore vel brevi antea rediit
V. 1. 25. Antalcidas Atheniensibusque autumno superatis hieme fere exeunte 386 pax est conclusa.

[1]) Diod. XIV, 99, 4—5.

III. DE HELLENICORUM LIBRIS SEXTO ATQUE SEPTIMO

1. DE CLEOMBROTI EXPEDITIONIBUS IN PHOCIDEM FACTIS

Nunc dicamus de libro sexto. Incipit a bello Phociis a Thebanis illato, quod omnino non esse gestum Beloch contendit,[1]) neque nego apud Xenophontem nonnulla esse suspecta. Cleombrotum enim regem ante priorem pacem factam in Phocios advenisse tradit cum quattuor moris, VI, 1, 1. quas vocabant Lacedaemonii, ibique remansisse usque ad pugnam Leuctricam. Nam etsi illum tantum temporis spatium re infecta moratum esse ea regione non certis verbis scripsit, tamen unam Cleombroti expeditionem Phocensem eum intellegere ex eo elucet, quod quamquam inde ab initio libri sexti usque ad caput quartum, hoc est ad alteram pacem factam, Lacedaemoniorum exercitum neglexit, tamen hoc loco dixit: *Κλεόμβροτον δὲ ἔχοντα τὸ ἐν Φωκεῦσι* VI, 4, 2. *στράτευμα* et *φρουρὰν μὲν ἔφαινον οἱ ἔφοροι ταῖν ὑπολοίποιν* VI, 4, 17. *μόραιν*, quibus verbis sine dubio respicit illas quattuor moras anno 374 commemoratas. Praeterea amici, cum Cleombrotum, ut acie decerneret, adhortarentur, bis eum infecta re a Thebanis domum redisse admonuerunt, scilicet VI, 4, 5 annis 379 et 376, tertium igitur eum revertisse nesciebat V, 4, 16; V, 4, 59. Xenophon. Sed cum tantum Lacedaemoniorum exercitum, immo DCC Spartiatas per quattuor annos, Phocios ut VI, 4, 15.

---

[1]) Beloch, Griechische Geschichte II p. 244[1] (1897).

tuerentur, domo afuisse vix credamus.[1]) praesertim cum nihil memoria dignum effecerint. Cleombrotum vere 371 in Phocios profectum esse Xenophontemque falso hanc expeditionem tribuisse anno 374 censebimus.

Qua re maxime inductus Beloch ante priorem pacem
VI, 2, 1. anno 374 factam erga Phocios bellatum esse omnino negat, quod Thebani, antequam Boeotiorum urbes in potestatem suam redegissent, contra Phocios non essent profecti.[2])
VI, 1, 1. Hic Xenophontis ipsius, ut credo, verbis nixus est: *οἱ δὲ Θηβαῖοι ἐπεὶ κατεστρέψαντο τὰς ἐν τῇ Βοιωτίᾳ πόλεις, ἐστράτευον καὶ εἰς τὴν Φωκίδα*, quibus respicit auctor locum brevi
V, 4, 63. supra scriptum, non Plataeas aut Thespias intellegit, quas
VI, 3, 1. postea deletas commemoravit infra. Immo hae urbes propterea sunt obsessae deletaeque, quod annis 376 aut 375 non statim sicut aliae a Lacedaemoniis desciverunt. Alias autem cum recuperaverint, non video, cur Thebani, quod duae resisterent, non fecerint impetum in Phociorum fines, quos facilius depopulaturi erant, quam illas urbes expugnaturi. Ac ne illud quidem Belochio[3]) concedo Athenienses anno 371 hac potissimum Thebanorum in Phocios invasione ad-
VI, 3, 1. ductos pacem fecisse, nam inter vicinos bellum anno 374 exortum annis inde a 373 usque ad 371 numquam esse renovatum credere vix possum. Sed Belochium quominus sequamur, validioribus causis impedimur. Xenophon eo tempore, quo Cleombrotus cum quattuor moris bellum gereret apud Phocios, Polydamantem venisse Lacedaemonem re-
VI, 1, 2; 17; 19. cordabatur, itaque si illum semel, scilicet anno 371, profectum esse credemus, huius quoque adventum tribuamus necesse est anno 371.[4]) Hoc si tacimus, inter Iasonis in Boeotiam
VI, 4, 21. expeditionem Polydamantemque Lacedaemona profectum intercesserunt pauci menses unicaque pugna Leuctrica,

[1]) Sievers, Geschichte Griechenlands vom Ende des peloponnesischen Krieges bis zur Schlacht bei Mantinea (1840) p. 239[1]. — [2]) Beloch l. c. II p. 244[1]. — [3]) Beloch l. c. II p. 244[1]. — [4]) Beloch l. c. II p. 251[3].

quorum loco Xenophon intermisit tres annos totumque bellum Corcyraeum, quem errorem maiorem esse puto, quam ut eo implicatus sit is scriptor, qui Thessalicis potissimum rebus valde studeret. Praeterea Lacedaemonios, qui prima belli parte unoquoque anno Thebanos aggressi duobus annis ab Atheniensibus hoc facere prohiberentur, simulatque ei segnius bellarent, denuo Thebanos petivisse verisimile videtur. Denique Xenophon priore loco tradit anno 376 classem a Peloponnesiis ornatam esse eo consilio, ut per Phocios pervenirent in Boeotiam. Quibus causis commotus scriptorem ita peccavisse arbitror, ut duas Cleombroti regis quattuorque morarum in Phocios expeditiones annis 374 et 371 factas praesidiumque haud parvum per hoc totum tempus ibi relictum, scilicet τὸ ἐν Φωκεῦσι στράτευμα, confunderet bellumque re vera erga Phocios gessisse Cleombrotum anno 374 sed pace facta revertisse.[1])

II, 3, 4; VI, 4, 2-19. 4, 20-37. V, 4, 35; 47. V, 4, 59; 62. V, 4, 60. VI, 4, 2.

Quae a Mnasippo Timotheoque sint gesta, supra tractavimus.[2]) Iphicratem vere 372 Corcyram profectum esse vidimus,[3]) ubi per hunc annum eum versatum esse verisimile est. Insequente anno 371 mense fere Iunio exeunte Lacedaemone pax est conclusa, id quod ex Dionysio Halicarnassensi[4]) et ex Plutarcho[5]) intellegimus. Etiam pugnae apud Leuctra commissae dies est traditus et a Plutarcho eodem loco et alias quintus Hecatombaeonis sub finem mensis Quintilis 371.

VI, 2, 33–38. VI, 4, 18.

2. DE THEBANORUM EXPEDITIONIBUS PELOPONNESIACIS

Sequuntur Epaminondae in Peloponnesum irruptiones. Atque hieme Thebanos primum invasisse multis locis[6]) est traditum, et quoniam quae intermissa sunt inter pugnam Leuctricam expeditionemque eam plura sunt, quam ut uno

VI, 5, 19:20.

[1]) Meyer, Geschichte des Altertums V p. 398 (1902). — [2]) p. 29. — [3]) p. 31. — [4]) Dion. Hal. de Lysia 12. — [5]) Plut. Ages. 28. — [6]) Plut. Pelop. 24.

autumno acciderint. Archidami profectio, finis belli, foedus Athenis initum, Mantineae urbis restitutio, tumultus Tegeae exortus, Agesilai res gestae, inter omnes constat hieme 371/0 Thebanos petivisse Lacedaemona cogitari non posse, ut supervacaneum esse putem huius rei alia afferre argumenta sicuti boeotarchos Thebanorum. Itaque pergamus ad graviora, quamquam enim Epaminondam Laconicam invasisse hieme 370/69 nemo negat, tamen ipsa fundamenta, quibus nisi viri docti illis temporibus res gestas suo quamque loco distribuerunt, nuper labefactata sunt, ut ita dicam, a Nieseo. Atque recte quidem hic adversatus est[1] Sieversio,[2] quem omnes fere adhuc sunt secuti,[3] cum diceret, quae Diodorus tradidisset[4] de morte Dionysii Syracusanorum tyranni, ea vaniora esse, quam ut eis ad ordinem rerum definiendum uteremur, praeterea ea valde abhorrere ab illius moribus Meyer comprobavit.[5] Sed proficiscendum esse nobis a Dionysii morte recte vidit Sievers. Atque Diodorus eum obisse auctor est Nausigene archonte post hiemem incuntem,[6] hoc est priore anni 367 parte, optimeque cum eo congruunt, quae in marmore Pario leginus.[7] Quamobrem quoniam bis Lacedaemoniis misit auxilium, priorem expeditionem advenisse VII. 1. 28. necesse est aut anno 368 aut antea. Atqui Siculus certiores nos facit[8] V mensium stipendia dedisse Dionysium militibus eosque aestate exeunte revertisse, aderant igitur mense fere Iunio. Iam vero illum eodem ipso mense 368 Atheniensibus misisse, qui ut pacem regiam restituerent, cohortarentur, ex inscriptione elucet,[9] credere autem vix

[1]) Niese, Chronologische und historische Beiträge zur griech. Geschichte der Jahre 370—364 v. Chr. Hermes XXXIX p. 97—99. — [2]) Sievers l. c. p. 395. — [3]) Beloch l. c. II p. 265[3]; Meyer l. c. V p. 430. — [4]) Diod. XV, 74. — [5]) Meyer l. c. V p. 498. — [6]) Diod. XV, 73, 4—5; XIII 94, 5; XVI 17, 2. — [7]) Jacoby, Das Marmor Parium 1904 p. 19 l. 86. — [8]) Diod. XV, 70, 1. — [9]) Dittenberger, Sylloge inscriptionum Graecarum I[2] Nr. 89 (1898).

possumus eum uno tempore Lacedaemoniis auxilium misisse eorumque sociis, ne bellum gererent, dissuasisse: ita priorem expeditionem tribuo anno 369. At Thebanos, ut facerent pacem, necesse erat bello vinci.[1]) Fateor, sed minime pacis concludendae causa Dionysii milites, postquam decesserunt Thebani ex Peloponneso, Sicyonios aut Deras oppidum sunt aggressi. Accedit, quod anno 368 Dionysio ipsi Carthaginienses bello persecuto omnibus copiis opus erat, neque plus XX triremes militumque duo milia[2]) e re erat dimittere. Nam tam parvi temporis fuisse bellum, ut mense Iunio 368 non dico non gereretur sed ne pararetur quidem, neminem credo contenturum esse, qui legerit, quae apud Siculum inveniamus[3]) de apparatu et Dionysii et Carthaginiensium. Quibus rebus verisimile mihi quidem videtur Thebanos primum invasisse in Peloponnesum hieme 370/69, praesertim cum optime Koehler contulerit[4]) titulum, quem citavimus, cum eis, quae apud Xenophontem sequuntur de Philisci legatione, qui ipse quoque aliquanto post primam Thebanorum incursionem, ut pacem efficeret, studuit; quamquam enim haec coniungenda esse certis argumentis firmari posse recte negavit Niese,[5]) tamen id ipsum ad comprobandam sententiam meam maxime est idoneum. Itaque sicuti omnes fere viri docti foedus Atheniense adscribo autumno 371, Mantineam conditam Tegeatarumque seditiones aestati anni insequentis. Mense fere Decembri exeunte sub brumam[6]) advenerunt Thebani.

VII. 1, 22.

VII. 1, 20.

VII. 1, 27.

Omisi adhuc, quibus causis commotus Niese alteram Epaminondae in Peloponnesum irruptionem assignandam esse anno 368 affirmaverit, quoniam nihilo minus primam tribuit hiemi 370/69. Nunc illum audiamus. Ac primum

---

[1]) Niese l. c. p. 128. — [2]) Diod. XV, 70, 1. — [3]) Diod. XV, 73. — [4]) Köhler, Die griechische Politik Dionysius d. Älteren. Mitteilungen des deutschen Archäologischen Instituts in Athen I. p. 13—14. — [5]) Niese l. c. p. 127. — [6]) Plut. Pelop. 24.

quidem atque maxime Reussium [1]) secutus illud Dodwellii [2]) laudavit,[3]) qui Epaminondam Pelopidamque anno 369 boeotarchia non esse functos credidit, quod Plutarchus illorum imperium sub bruma 370/69 esse finitum tradidisset.[4]) Atque si vera narravisse de causa imperatorum Plutarchum statuemus, minime neglegenda est Niesei sententia. Quamquam ne ita quidem fieri non potest, ut hanc expeditionem demus anno 369, cum nullis certis argumentis refutetur Sievers [5]) Epaminondam ea occasione non boeotarchi nomine militibus praefuisse arbitratus, quem Diodorus *ἡγεμόνα μετ' ἄλλων βοιωταρχῶν* appellet,[6]) neque absurdum sit credere Thebanos, quem capitis accusatum, ne iudicarent, recusavissent,[7]) eum culpa solutum extraordinariis comitiis boeotarchum fecisse. Sed ea est de lite memoria, quam comprobare nullo modo possim. Nam si sequemur Plutarchum, hoc statuemus:[8]) Thebanorum exercitus in Arcadiam venit mense Decembri brevi ante brumam paucis diebus, antequam novus Boeotiorum annus incipit, cuius initio, *ἐνίοις ἱσταμένου τοῦ πρώτου μηνός*, aliis imperio cedere legibus erat constitutum. Propterea alii anni 370 duces, ut domum redirent, admonebant, sed Epaminondas Pelopidasque, ut in Laconicam invaderent, obtinuerunt. Quibus rebus apparet novos anni 369 imperatores non adfuisse, nam si adfuissent, Epaminondae collegarumque erat diiudicare non, quo ducerent exercitum, sed utrum cederent successoribus, an militibus, ut sibi obœdirent, persuaderent, quo effectum esset, ut milites quoque, quibus parerent, decernerent. Praeterea si advenissent illi, collegis Epaminondae magistratu se abdicare licuit, et ipse eisdem sui anni diebus, quibus domum rediret, in Laconicam potuit irrumpere, ut nulla

[1]) Reuss, Die chronologischen Angaben des Pausanias. Fleckeisens Jahrbücher CLI p. 543. — [2]) Dodwell, Annales Thucydidei et Xenophontei 1702 p. 280. — [3]) Niese l. c. p. 86. — [4]) Plut. Pelop. 24. — [5]) Sievers l. c. p. 277. — [6]) Diod. XV, 68,1. — [7]) Plut. Apophth. Epam. 23. — [8]) Plut. Pelop. 24.

lege violata Thebanos novosque imperatores ante Lacedaemona bellum gerere cogeret, cuius ipsius rei perficiendae causa eum leges neglexisse Plutarchus tradidit.[1]) Itaque aut Plutarcho fidem abrogare debemus aut arbitrari successores neque adfuisse apud exercitum neque primo sui anni mense adfuturos fuisse, ut susciperent imperium, Epaminondae igitur collegisque mense Ianuario ineunte magistratu abiendum fuisse Thebis. Apud Xenophontem autem legimus VI. 5, 20.
Agesilaum media hieme in Arcadia bellum gessisse, quo tempore tantum abest ut adfuerint Thebani, ut nonnullis diebus post Mantinenses Heraeam sint aggressi. Profecti VI, 5, 22.
sunt igitur Thebani ipsi quoque media hieme, id est non ante mensem Decembrem ineuntem, quoniam Novembrem vix adscripserim mediae hiemi sed ineunti. Quare statuendum est, dummodo ne Plutarchum deseramus, Thebanos primis Decembri diebus vel postea exercitum ipsorum, Heracleotarum, Maliensium, Thessalorum misisse ea con- VI, 5, 23.
dicione, ut XXX diebus post rediret domum. Quo temporis spatio cum iter ipsum VIII fere dierum inde a Thebis ad Mantineam bis esset faciendum, dimidiam mensis partem boeotarchi ante hostem rem gerere potuerunt tanto exercitu. Concedo postea quoque, quo tempore reducerent exercitum, imperatoribus esse praescriptum: concedo Xenophontem VII, 5, 18.
quidem auctorem esse Thebanos, cum primum venissent in Arcadiam, nullo hoste invento redituros fuisse: scilicet ea de causa, quod auxilio non iam opus esset sociis. Sed hoc ne- VI. 5. 23.
sciebant, cum proficiscebantur, quo ipso tempore XV dies eis datos esse ad bellum contra Lacedaemonios agendum arbitrari minime possum. Adde alia, quae de Epaminondae moribus ab ipso Plutarcho aliisque traduntur, eum ne ioco quidem esse mentitum,[2]) eum privatum contra Alexandrum stipendia fecisse,[3]) eum vel unum civem causa indicta inter-

---

[1]) Plut. Apophth. Epam. 23. — [2]) Nepos. Epam. 3, 1. — [3]) Diod. XV, 71, 6.

fiere veritum liberandae a tyrannis patriae non adtuisse.[1]) eum civium iniurias aequo animo tulisse:[2]) intelleges ea valde abhorrere ab omni facinore seditioso. Neque probabile videtur Thebanos paucis diebus aliis commisisse exercitum, alios boeotarchos in annum insequentem creavisse: nam designati sunt novi duces aut mense Decembri aut brevi antea. Quid? qui modo civem optime de re publica meritum nullae culpae obnoxium loco movissent, eos creditis illum capitis non damnavisse, cum contra ipsorum voluntatem quasi tyrannus toti exercitui imperavisset? Neque illud neglegendum esse puto apud Diodorum de ea causa nihil inveniri; nam quae legimus XV, 72, 2, eadem sunt, quae Plutarchus infra commemorat verbis his:[3]) *Μενκλείδας . . . ἐχρῆτο τῇ φύσει πρὸς τὸ ἀνυποστάτων καὶ διαβάλλειν τοὺς κρείττονας οὐδὲ μετὰ δίκην ἐκείνην παυσάμενος. Ἐπαμεινώνδαν μὲν οὖν ἐξέχρουσε τῆς ῥοπαρχίας.* Xenophontis autem verbis, cum tradat Decembri mense 370 Thebanis, hoc est Epaminondae, quippe qui eorum esset princeps, in animo fuisse reverti, Plutarchi memoria vix comprobatur, neque inepte eam commutavit Swoboda.[4])

VI, 5. 23.

Verum illius quoque verba protulit Niese, sed haud scio an non optime *τῷ δ' ἑπτέρῳ ἔτει* interpretatus sit[5]) sic: anno post. Mea quidem sententia ex articulo, quem vocamus, apposito manifestum est scriptorem non XII mensium spatium intermissum sed certi cuiusdam novi anni quendam diem intellexisse neque aliud esse *τῷ δ' ἑπτέρῳ ἔτει* nisi *τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει* vel *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει*, scilicet anno posteriore. Et quoniam primis libris anno vernali usus est atque hoc ipso loco brevi supra commemoravit hiemem, neminem praeter Nieseum, quippe qui causa illa Thebis acta male sit confisus, credo negaturum esse etiam

VII, 1, 1.

I, 2, 1; I, 6, 1.

VI, 5, 50.

[1]) Plut. De gen. Socr. 3. — [2]) Plut. Pelop. 25. — [3]) Plut. Pelop. 25. — [4]) Swoboda, Zur Geschichte des Epameinondas, Rheinisches Museum LV p. 471. — [5]) Niese l. c. p. 90.

hic indicari annum a vere incipientem 369/68. Quod si est, Xenophontis verba, quin alteram invasionem Peloponnesiacam adscribamus anno 369, adeo non repugnant, ut contra affirment hanc sententiam. Omnibus enim locis, quibus legimus *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει*, aut sequuntur *ἀρχομένου τοῦ θέρους* simillimaque, aut aliis de causis res gestas damus novi anni initio, sicut nostra quoque lingua si occurrerit 'im nächsten Jahre' narratione non interrupta, scriptorem primos novi anni menses intellegere arbitremur. Atque hoc loco de eodem foedere inter Lacedaemonios Atheniensesque facto agitur inde a VI, 5, 33 usque ad VII, 1, 14. Sed quid vocabula incerta commemoro? Rebus ipsis societatem re vera antea initam non multo post certis condicionibus ratam ductam esse comprobatur. Atque cum his absolutis scriptor continuo narret Thebanorum incursionem, eam eidem aestati 369 quam insequenti melius tribuemus. Iam alia videamus Niesei argumenta. Recte quidem vidit Pelopidam cum exercitu in Thessaliam profectum esse anno 368, qua de re postea disseremus, atque illud concedendum est Diodorum bellum Thessalicum alteri expeditioni Peloponnesiacae anteposuisse:[1]) neque tamen ei assentior, cum censeat[2]) Plutarchum quoque ea eidem tempori adscripsisse. Legimus enim verba haec[3]) *ὁρῶν ὁ Πελοπίδας τὸν Ἐπαμεινώνδαν τὰς ἐν Πελοποννήσῳ πράξεις διοικεῖν, αὐτὸς ἑαυτὸν ἐπέδωκε καὶ προσέτειμε τοῖς Θετταλοῖς*, quo loco nihil apparere affirmo, nisi Diodorum falso ordine res tradidisse. Nam primae incursionis Peloponnesiacae uterque erat dux, eius igitur temporibus Pelopidas Epaminondam solum res administrare videre non potuit, hoc eo potissimum temporis puncto ei erat intellegendum, quo illi, ut alteram duceret expeditionem, mandatum est, ipse remansit: abiit igitur Pelopidas in Thessaliam post Epaminondae alteram profectionem. Neque vero hic

I, 2, 1; 3, 1; 6, 1; II, 1, 1; 3, 1.

VII, 1.

[1]) Diod. XV, 67, 3 : 68, 1. — [2]) Niese l. c. p. 100. — [3]) Plut. Pel. 26.

rebus Peloponnesiacis solum, dum exercitum ducit, praecrat, sed etiam dum Delphis de Messenia agitur a Thebanis
VII. 1, 27. Lacedaemoniisque, id quod ego quoque dabo anno 368: itaque etiam si mea comprobatur sententia, anno 368, Pelopidas Epaminondam rebus Peloponnesiacis studere sentiebat. Qua re absoluta cetera Niesei paucis refutabo. Quod Dionysius misit auxilium Lacedaemoniis, ex eo elucere[1]) alteram Thebanorum invasionem diu esse praeparatam falsum iudico, quia postea eius auxiliarii adveniunt eo tempore,
VII, 1, 28. quo omnino nullum geritur bellum. Res autem a Phliasiis
VII, 2. gestae paucis fortasse diebus perfectae incertiores sunt, quam ut adhibeantur[2]) ad tempora definienda. Denique Niese, quae inter primam alteramque expeditionem accidissent, uni veri tribui posse negabat.[3]) Sed foedus Athenis
VII, 1, 40 VII, 2, 1 ictum, Argivorum in Phliunta impetum, apparatus belli eodem tempore facta esse credo: immo erravit Niese, cum Argivos Epidaurum aggressos esse, antequam advenissent Thebani, censeret,[4]) quoniam Xenophon hoc illi dilucide
VII, 1, 27; 28; 29. postposuit.

3. DE DIONYSII TYRANNI AUXILIARIBUS REBUSQUE THESSALICIS

Quibus rebus satis expositis iam veniamus ad alteram
VII, 1, 28. Dionysii expeditionem, quam ego quoque sicut Niese tribuerim anno 367. Omnes fere adhuc viros doctos Sieversium secutos, quod tyrannus mortuus esset hieme 368/7, eam dedisse anno praecedenti, neque tamen certi quicquam de ea re constare nisi Dionysium obisse altera anni 368/7 parte supra vidimus.[5]) Sed quoniam maxima Niesei argumenta, causam imperatoriam Xenophontisque *τῷ δ' ἑξῆς ἔτει*
VII, 1, 1 refellimus, nostra ut proferamus, necesse est. Atque primum quidem, quibus rebus, ne priorem expeditionem

[1]) Niese l. c. p. 91. — [2]) Niese l. c. p. 93. — [3]) Niese l. c. p. 96. — [4]) Niese l. c. p. 94. — [5]) p. 84.

assignaremus anno 368, eisdem nunc prohibemur alteram dare ei anno. bellum dico Carthaginiense a Dionysio gestum legationemque de pace Athenas missam mense Iunio 368.[1] Neque enim recte Beloch, antequam Siciliense bellum exoreretur, auxilia advenisse contendit[2] vere 368, cum obstent, quae de Macedonia Thessaliaque cognoscimus. Nam optime accidit, quod Xenophon scripsit verba haec: *τούτων δὲ πραττομένων ἀφικνεῖται καὶ ἡ παρὰ Διονυσίου δευτέρα βοήθεια. λεγόντων δὲ Ἀθηναίων μὲν ὡς χρεὼν εἴη αὐτοὺς ἰέναι εἰς Θετταλίαν τἀναντία Θηβαίοις κτέ,* quibus inter omnes constat[3] Thebanos, ut Pelopidam liberarent vinculis, Alexandrum Pheraeum bello esse persecutos eodem tempore, quo Graecis adessent Dionysii milites, quoniam Athenienses succurrisse Alexandro illo bello Diodorus auctor est.[4] Hoc si tenemus, quaerendum est, utrum hanc in Thessaliam invasionem Thebanam tribuamus anno 368 an 367. VII. 1, 28.

Quae cum ducta sit post mortem Alexandri regis Macedonum,[5] de eius regno nonnulla sunt addenda. Apud Diodorum invenimus eum regnasse unum annum,[6] neque alia tradit Syncellus aut Eusebius.[7] At ipse Diodorus aliam praebet memoriam, nam quamquam anno 370/69 regnum inisse et Alexandrum Macedonem et Polydorum Pheraeum scripsit,[8] tamen hunc interfectum esse anno insequente 369/8,[9] illum anno tertio 368/7 narravit.[10] Quamobrem scriptorem neque, quibus archontibus essent interfecti reges, ex regni annorum numero tradito neque hunc ex archontibus computavisse perspicuum est, quoniam qui modo duos reges suscepisse regna singulosque annos regnavisse eidem anno definite tribuisset, eum sequente capite hoc oblitum illud tenuisse comprobari non potest, praesertim cum eo ipso capite Alexandrum Macedonem

[1]) p. 85. — [2]) Beloch l. c. II p. 270. — [3]) Sievers l. c. p. 395. — [4]) Diod. XV, 71, 3. — [5]) Plut. Pel. 27. — [6]) Diod. XV, 60, 3. — [7]) Meyer l. c. V p. 303. — [8]) Diod. XV, 60, 3:5. — [9]) Diod. XV, 61, 2. — [10]) Diod. XV, 71, 1.

commemoraverit.[1] Itaque nulla ratione adhibita, quae inveniebat apud auctores, descripsit, ex quo videmus et per unum annum regem fuisse et Dysniceto archonte 370/69 rerum potitum Nausigene archonte 368/7 interfectum esse Alexandrum apud auctores Siculi exstitisse. Praeterea in marmore Pario, quod vocamus, legitur[2] illum obisse Nausigene archonte 368/7. Hic valde doleo, quod quo anno Macedonico necatus sit Philippus, non satis constat,[3] quoniam eum et, qui praecedebant, Perdiccam Ptolemaeumque regnasse annos XXXII ex Diodori, Syncelli tabulis videtur certum esse.[4] Itaque ex hac re nihil intellegere possumus nisi Alexandrum mortuum esse aut anno Macedonico 369/8 aut 368/7, id est inde a mense Octobri[5] 369 usque ad autumnum 367, quo temporis spatio totus contineatur Nausigenis annus. Sed etiamsi Philippum occisum esse anno 337/6 credimus Alexandrumque anno 369/8, sicut censet Beloch,[6] tamen quin mortem eius demus anni Nausigenis primis mensibus vel Quintili vel Sextili vel Septembri minime impedimur. Utraque igitur Diodori memoria potest conservari, dummodo illum brevi ante mensem Quintilem 369 Macedonico anno 370/69 Dysniceto archonte 370/69 regnum inisse, obisse inter Quintilem Octobremque 368 insequente Macedonico anno 369/8 sed Nausigene archonte 368/7 arbitremur. Qua de causa minime laudo Belochium, cum Alexandrum Macedonem vere 368 iam non inter vivos fuisse Pelopidaque eo ipso tempore capto Dionysii alteram expeditionem priore anni 368 parte, antequam exortum esset bellum Carthaginiense, advenisse contendat.[7])

Neque vero Thessalicis rebus Belochii sententia nititur,
VI, 4, 29–31. de quibus Xenophon ipse pauca docuit. Leginus enim

[1]) Diod. XV, 61, 3. — [2]) Jacoby l. c. p. 19 l. 86. — [3]) Beloch l. c. II p. 609[2]. — [4]) Gutschmid, Chronologische Untersuchungen über die ältere griechische Geschichte, Kleine Schriften IV p. 39 (1893). — [5]) Ideler, Handbuch der Chronologie I p. 403 (1825). — [6]) Beloch l. c. II p. 609[2]. — [7]) Beloch l. c. II p. 267[1], 270.

Iasonem obisse brevi ante ludos Pythios, qui anno 370 mense Sextili vel Septembri sunt celebrati, Polydoroque fratre sublato Polyphronem tyrannidem obtinuisse per annum, ne- VI, 4, 31.
que cuiquam dubium esse potest, quin hoc loco voce *ἐνιαυτόν* significetur XII fere mensium spatium, quamobrem mortem Polyphronis tribuamus necesse est mediae vel exeunti aestati 369. Quo necato antequam Larisaeos Alexandri, qui succederet, paeniteret, aliquantum temporis praetermissum esse verisimile est; sed ne tum quidem arcessiti sunt Thebani sed Alexander Macedo,[1]) deinde paratur bellum Larisaque urbs a Macedonibus capitur,[2]) quibus factis bello implicatur Pelopidas.[3]) Is cum sit rerum ordo, Thebanos ante ver 368 advenisse[4]) vix comprobandum esse Niese recte dixit.[5]) Atque si Alexander Macedo obiit aestate exeunte 368, Pelopidas Ismeniasque legati ad Thessalos Ptolemaeumque regem Macedonum missi sunt vix ante autumnum eiusdem anni, itaque Alexandrum Pheraeum, quod captos retineret illos, bello persecutos esse Thebanos non ante ver 367 verisimile videtur; nam sicuti supra vidimus,[6]) bellum geritur eodem tempore, quo adveniunt Dionysii auxilia, quae autumno exeunte aut hieme navigasse nemo VII, 1, 28.
credet.

Hic liceat mihi pauca addere de hoc bello. Omnes enim, quos adhibuerim, viri docti Thebanos, ut liberarent Pelopidam, bis profectos esse sunt arbitrati Diodorum[7]) quidem secuti; neque enim ex Plutarcho[8]) apparet, utrum Epaminondas cum ipso exercitu domum reverso an cum subsidiis ad exercitum magno in periculo versantem sit missus, contra unam dilucide tradidit expeditionem Pausanias.[9]) Nequo vero illud neglegendum est Diodorum de altera invasione perpauca edidisse[10]) neque Alexandrum

[1]) Diod. XV, 61, 3. — [2]) Diod. XV, 61, 4—5. — [3]) Diod. XV, 67, 3. — [4]) Beloch l. c. II p. 267[1]. — [5]) Niese l. c. p. 101. — [6]) p. 91. — [7]) Diod. XV, 71, 3 : 75, 2. — [8]) Plut. Pelop. 29. — [9]) Pausan. IX, 15, 1—2. — [10]) Diod. XV, 75, 2.

esse victum pugna apud quemquam inveniri. Sed gravissimum est, quod Thebanos omnino non superiores discessisse ex pacis condicionibus conicio. Pelopidas redditur, hoc concedo, sed captus est ab Alexandro mea quidem sententia eo consilio, ut prosperis condicionibus redderetur, quoniam non est interfectus. Contra Thebani summa ira incensi tamen nullis poenis acceptis domum reverterunt, immo per quattuor annos Thessaliam, quam antea saepissime essent ingressi, exercere omittunt, quo tempore illius opes maxime sunt auctae. Quamobrem cum bellum haud ita prospere evenisse Thebanis credam, alteram Epaminondae expeditionem victoriamque fictam esse eumque, ut servaret exercitum, quibus Alexander vellet condicionibus, Pelopidam Ismeniamque recepisse mihi persuasi.

Sed redeamus ad alteram expeditionem sociis a Dionysio missam. Omisi enim adhuc, quo argumento, ut eam tribuerem veri 367, antequam Niesei commentariolum publici iuris est factum, primum sim inductus. Titulus exstat marmori incisus,[1] quo Athenienses cum Dionysio septima quadam prytania foedus inisse legimus, quemque editum esse Nausigene archonte 368/7 primus vidit Kirchhoff,[2] comprobaverunt Koehler,[3] Dittenberger,[4] alii. Quare cum ictum sit foedus vere 367, cumque Xenophon Athenienses, quasi sibi quoque mitterentur Dionysii auxilia, ut
VII. 1, 28. in Thessaliam veherentur, poposcisse certiores nos fecerit, ea vere 367 advenisse post foedus Athenis pactum verisimile mihi videtur.[5] Quo enim iure, si Lacedaemoniorum tantum socius fuisset Dionysius, eius copiis Atheniences essent usi? Quibus de causis, quin alterum subsidiorum
VII. 1, 28. adventum tribuam veri vel ineunti aestati 367 eidemque

[1]) Dittenberger l. c. I Nr. 90. — [2]) Kirchhoff, Ein attisches Psephisma. Philologus XII p. 574/5. — [3]) Köhler, Die griechische Politik Dionysius des Älteren. Mitteilungen des deutschen Archäologischen Instituts in Athen I. p. 23. — [4]) Dittenberger l. c. I p. 148[2]. — [5]) Niese l. c. p. 99.

tempori bellum Arcadicum Thessalicumque atque actionem VII,1.28—32.
de pace Delphis habitam aestati praecedenti 368, non dubito. VII. 1. 27.
Prior anni 368 pars eis completur, quae Lycomedes Arcadesque gesserunt. VII,1,23—26.

4. DE TERTIA EPAMINONDAE EXPEDITIONE PELOPONNESIACA ATQUE DE EUPHRONE

Iam veniendum est ad Oropum a Thebanis occupatam, VII. 4. 1.
id quod ab eo, qui ad Aeschinis orationes scripsit adnotationes, anno Polyzeli archontis 367 6 tribuitur.[1] Atque hoc tenebimus, quamquam Diodorum annalium scriptorem quendam secutum Cephisodoro archonte 366 5 id narravisse[2] Volquardsen contendit,[3] quoniam eodem iure, quo hic Oropum occupatam, Charetis victorias Argivas[4] reditumque ipsa quoque paucis verbis sub finem anni a Siculo commemorata minimeque cum eis, quae praecedunt, cohaerentia annalibus possumus adscribere. Atque duobus annis haec facta distribuit Diodorus, Xenophon Charetem eo tempore, quo caperetur Oropus, Phliasios contra Argivos adiuvisse dilucide tradidit. Quare cum falsum sit alterum VII, 4. 1.
Diodori, ei abrogabimus fidem, quod a memoria Aeschineis adnotationibus servata discrepat, Oropumque Polyzelo archonte a Thebanis occupatam esse credemus, hoc est non post mensem Quintilem 366. Iam vero aliquantum temporis obsessum est oppidum ab Atheniensibus, legimus enim in scholiis: *Ἀθηναῖοι δὲ ἐπιστρατεύσαντες ἐπολιόρκουν αὐτὸν ὄντα ἐν Ὠρωπῷ. ὕστερον συνέῤῥησαν ἀμφότεροι καὶ αὐτοὶ καὶ ὁ τύραννος, ὥστε παρακαταθέσθαι Θηβαίοις τὸν Ὠρωπόν:* Chares igitur a Thyamia arcessitus est non post medium mensem Iunium 366. Quod castellum cum muni-

[1] Schol. Aesch. III. 85. — [2] Diod. XV. 76, 1. — [3] Volquardsen, Untersuchungen über die Quellen der griechischen und sicilischen Geschichten bei Diodor, Buch XI—XVI p. 18 (1868). — [4] Diod. XV, 75, 3.

tum sit et a Phliasiis Charete duce et antea a Sicyoniis, huius belli partis initium post mensem Maium exeuntem collocari vix potest. Eo tempore Euphro Sicyoniorum
VII. 2. 1. est tyrannus, immo alii quoque invasioni in fines Phliasio-
VII. 2. 11. rum factae praefuerat, quibus rebus cum ante medium mensem Aprilem rerum esse potitum apparet. Praecesserunt
VII. 1. 44. autem tumultus Achaeorum, qui tertiam Epaminondae in
VII. 1. 43. Peloponnesum incursionem sunt secuti: ita constat eam ductam esse aut hieme 367/6, id quod verisimile non videtur, **aut antea anno 367.**

Haec cum viderint Sievers,[1]) Grote,[2]) Meyer,[3]) tamen pauca sunt addenda, quia quae antecedunt res gestas eidem anno 367 non, sicut illi, anno 368 tribuimus, neque desunt, qui Epaminondam anno 366 subegisse Achaeos censeant.[4]) Ac primum quidem apud Plutarchum,[5]) Diodorum,[6]) Pausaniam[7]) Epaminondas, cum bellum interebant Thebani Alexandro Pheraeo vere 367, boeotarchia non est functus. Sed cum rediret cum exercitu, Thebanorum erat aut boeotarchos multare aut illum, quod quamquam brevi antea privatus esset factus, arripuisset imperium, cumque boeotarchos esse damnatos et a Diodoro[8]) et a Plutarcho[9]) tradatur, nulla re Epaminondam anno 367 boeotarchum esse suffectum credere prohibemur, si modo illis rebus fides ulla est danda.[10]) Neque obstat, quod Xenophon hanc expeditionem narravit, postquam Susis Thebisque de pace actum esse commemoravit, quia illa non verbis *μετὰ δὲ*
VII. 1. 41. *ταῦτα* similibusve coniunxit sed simplici *αὖθις*[11]) saepiusque hoc libro ordine omisso res tradidit. Neque recte Stern eis mensibus, quibus legati fuissent apud regem Persarum,

[1]) Sievers l. c. p. 397. — [2]) Grote, Geschichte Griechenlands V (1880) p. 470[54]. — [3]) Meyer l. c. V p. 447. — [4]) Beloch l. c. II p. 272. — [5]) Plut. Pel. 28. — [6]) Diod. XV, 71, 6. — [7]) Pausan. IX, 15, 1. — [8]) Diod. XV, 71, 7. — [9]) Plut. Pel. 29. — [10]) p. 93. — [11]) Grote l. c. V p. 470[54].

incursionem non fecisse Thebanos affirmavit,[1]) cum Corinthio quoque bello, dum Antalcidas de pace ageret, bellum esse V, 1, 7 24.
gestum viderimus.

Denique pauca adicienda sunt de Euphrone Sicyonio, quem rerum esse potitum Lysistrato archonte 369 8 scripsit Diodorus,[2]) quoniam hic quoque eum secutum esse auctorem chronographum haud ita abhorreret a narratione locoque huius facti. Sed tamen hoc nego, nam si hausisset ea ex chronographia, Siculum etiam, quos annos regnavisset, quoque anno depulsus vel interfectus esset tyrannus, inventurum fuisse credo, quibus de rebus nihil apud eum legimus. Neque enim qui annales scriberet, cum initium tyrannidis adnotavisse, omisisse exitum, neque Diodorum illud memoria dignum iudicasse, hoc quarto fere anno post traditum neglexisse credere possum eis, quae Volquardsen collegit, exemplis collatis,[3]) praesertim cum filius quoque neposque Euphronis imperium tenuerint.[4]) Accedit, quod socios strenue adiuvit, quocumque agmen ducebant, deest autem VII, 1, 46.
pugnae illacrimabili, quae vocabatur, vere 367 commissae, VII, 1, 28.
quamquam eius duo milia militum vix silentio praeterisset VII, 2, 11.
Xenophon. Denique ex verbis eius initio alterius capitis scriptis confirmatum esse Euphronis imperium brevi antequam Thyamia muniretur aestate fere 366, apparere mihi quidem videtur; neque igitur solum, quo ordine narraverit facta Xenophon, obstat Diodoro, sed etiam quo ordine sibi persuaserit res esse gestas. Hic valde doleo, quod Beloch, quibus de causis aut quo loco De Sanctis, vir doctus, initium tyrannidis adscripsisset anno 368, omisit commemorare,[5]) neque Xenophontis locis VII, 1, 44 et 46 comparatis quicquam inveni, quo ut Diodorum praeferam, commovear.

---

[1]) Stern, Geschichte der spartanischen und thebanischen Hegemonie vom Königsfrieden bis zur Schlacht bei Mantineia. (Dorpat 1884) p. 205. — [2]) Diod. XV, 70, 3. — [3]) Volquardsen l. c. p. 13. — [4]) Dittenberger l. c. I Nr. 161; 163. — [5]) Beloch l. c. II p. 273[1].

Equidem, quin Xenophon de rebus Peloponnesiacis multo maiore sit auctoritate, non dubito.

Propterea Epaminondam tertium invasisse Peloponnesum aestate vel autumno 367, Euphronem rerum potitum esse non ante autumnum 367, non post primum ver anni insequentis 366 confirmaverim, huiusque temporis spatii res gestas ita inter se conexuerim: Anno 369 Sicyonii ad Thebanos desciverunt, neque enim eorum urbem vi captam
VII. 1. 18. esse, sicut credit Meyer,[1]) aut Xenophon aut Diodorus verbis[2]) *κατασκήψαντος λιμοῦ* aut Pausanias[3]) tradidit; eoque minus est verisimile, quod subsidia Dionysii tyranni
VII. 1. 22. eodem anno cum ipsis Sicyoniis, non cum praesidio Thebanorum bellum gesserunt. Hoc ipso loco apparere mihi quidem videtur nondum adfuisse praesidium. Iam vere
VII. 1. 31. 367 Arcadibus Argivisque fugatis Lacedaemoniorum res augebantur. Euphroque, ut dominationem civium suorum
VII. 1. 44. adipisceretur, eorum partibus favebat, cum exeunte aestate eiusdem anni Epaminondas, ut auctoritatem Thebanorum Thessalica quoque clade imminutam restitueret, advenit Achaiamque subegit. Quo facto Euphro, cum Arcades Argi-
VII. 1. 43. vosque plebem Achaeorum adiuvare videret, ipse quoque plebe nixus eis adiuvantibus hieme fere ineunte 367 popularem reddidit rem publicam. Quo tempore nam adfuerint Thebani, disceptari vix potest: quamquam enim hic non
VII. 2. 11. commemorantur, tamen haud ita multo post adsunt. Mea quidem sententia eodem tempore advenerunt, quo in Achaeorum urbes missa sunt praesidia, brevi antequam rerum potiretur Euphro, quia socios, quos nominat Xenophon sub finem primi capitis, imprimis suspicor fuisse Thebanos arcem tenentes. Quos secutus ille proximo vere 366
VII. 2. 11. Phliasios est aggressus, sed cum Thebanorum eum paeniteret, simulatque opes eius sunt auctae, Lacedaemoniis

[1]) Meyer l. c. V p. 429. — [2]) Diod. XV, 69, 1. — [3]) Pausan. IX, 15, 4.

denuo favit, quo comperto Arcades fortasse a Thebanorum praefecto arcessiti arce occupata bonis urbem dediderunt. VII. 3, 1.
Haec aestate ineunte 366 mense fere Iunio gesta eodemque tempore Oropum ab Atheniensibus obsessam esse credo. Interea Pelopidas aliique Graecorum legati aestate 367 cum rege Persarum de pace egerunt, hieme fere insequente VII, 1, 33.
367 6 Thebas conventum est. Phliasiorum facta facile iam VII, 1, 39.
sunt inserenda. Prima enim adscribenda sunt hiemi 370 69 VII. 2, 1—3.
vel proximo veri, quae sequuntur, alteri Thebanorum in- VII. 2, 4; VII. 2, 5-9.
vasioni in Peloponnesum factae aestate 369, ut decima paragrapho habeamus annum 368. Reliqua supra veri aestatique 366 assignavimus. Brevi post Euphronem foedere ab Atheniensibus Arcadibusque inito revertisse credo VII, 4, 2; VII. 3, 4.
autumno fere 366, cecidisse eum post pacem factam optime VII. 3, 5.
coniecit Beloch;[1]) certius quicquam dici non potest.

5. DE PUGNA MANTINENSI

Satis multa de Euphrone; sequitur pax inter Thebanos et Corinthios, Argivos, Phliasios conclusa, quam Diodorum VII, 4, 10—11.
quoque intellexisse optime comprobavit Sievers.[2]) Et Siculus quidem auctor est[3]) bellum Laconicum Boeoticumque finitum esse plus V annis post pugnam Leuctricam, id est intra mensem Sextilem 366 mensemque fere Aprilem 365. Atque alterius Dionysii auxilia eodem tempore, quo de pace ageretur, advecta Sellasiam expugnavisse neque multo post Lasio oppidum Eleorum ab Arcadibus captum esse a Xenophonte docemur. Atqui Siculus Lasionis oppugnationem VII, 4, 12.
tradidit primam post pacem rem bello gestam fuisse,[4]) id quod auctor eius dicere vix potuit, si Sellasia capta esset post pacem initam, quoniam utroque loco eidem Arcades pugnabant. Hoc ergo oppidum, antequam pax esset con-

[1]) Beloch l. c. II p. 278[2]. — [2]) Sievers l. c. p. 396/7. — [3]) Diod. XV, 76, 3. — [4]) Diod. XV, 77, 1.

firmata, expugnatum esse credo. Iam vero subsidiis Dionysii, ut advenerint remque gererent, non diebus sed mensibus opus erat, neque hieme ea navigasse verisimile videtur, ex quo intellegitur ea, si primo vere naves solvissent,[1]) ante mensem Maium vix capturos fuisse Sellasiam, neque bellum ante hoc tempus compositum esse. At hoc si verum esset, Diodori auctor non plus V sed paene VI annos ei adscripsisset. Qua de causa autumno 366 auxilia adiuvisse Lacedaemonios pacemque mense fere Octobri factam esse
VII. 4. 12. arbitror. Neque vero obstant Xenophontis verba *τελευτῶντος ἤδη τοῦ χρυσίου*, ex quibus quam proxime a Dionysii prioris morte hanc expeditionem collocabimus.
VII. 4. 4—9. Corinthia illa aestati exeunti 366 assigno.

Iam pergamus ad bellum inter Arcades Eleosque exortum, quod annis 365 atque 364 tribuendum est, cum VII. 4. 28 Olympiacum annum commemoratum inveniamus. Olympia mense Septembri 364 sunt celebrata, neque dubito, quin illud annum Olympiacum inceperit ab ipso ludorum mense. Nam cum, quo propiores essent dies festi, eo
VII. 4. 28. diligentius praeparārentur, hoc melius aestati eiusdem anni 364, quam veri vel hiemi praecedenti dabimus; Arcades autem apparaverunt ludos *ἐπιόντος Ὀλυμπιακοῦ ἔτους*, hoc est anno, qui antecessit Olympiacum: aestatem igitur 364 non adscribemus anno Olympiaco. Ita hoc loco Xenophon non intellegit suum annum vernalem neque Eleorum, quem ab hieme coepisse Mommsenius comprobavit,[2]) sed alium ab altera aestatis parte incipientem fortasse Pisaeorum. Quae autem huius belli sint tribuenda anno 365, quae anno 364, non constat.[3])

Restat, ut de pugna apud Mantineam commissa pauca addam, quam tribuendam esse ineunti fere mensi Quintili 362 a plerisque viris doctis conceditur: traditur enim ab

[1]) Meyer l. c. V p. 451. — [2]) A. Mommsen: Über die Zeit der Olympien p. 33 (1891). — [3]) Meyer l. c. V p. 464.

eo, qui vitas X oratorum scripsit, eam factam esse Chariclide archonte 363 2,[1] atque diem XII. mensis Scirophorionis apud Plutarchum[2] invenimus. Quae ut neglegam,[3] ne titulo[4] quidem, quo audimus foedus ab Atheniensibus cum Arcadibus, Eleis, Achaeis, Phliasiis ictum esse Molone archonte 362 1, commoveor, non quo Belochium secutus societatem ante pugnam re vera initam, postea conclusam esse arbitrer,[5] sed quod eam cum proelio Mantinensi cohaerere omnino nego,[6] quamquam hoc nuperrime Kromayer, vir doctus, affirmavit. Et recte quidem ex eo, quod Phliasios pugnae interfuisse neque a Xenophonte neque a Diodoro traderetur, nihil esse concludendum, id quod fecit Unger,[7] contendit.[8] Sed Lacedaemonios deesse in titulo foederis vix neglegendum esse puto.[9] Athenienses enim et cum Arcadibus et cum Lacedaemoniis antea societatem inierant: itaque aestate 362 aut cum Eleis, Achaeis, Phliasiis solis erat paciscendum, aut novum omnino foedus omnibus concludendum, cui Lacedaemonii non magis quam Arcades deesse potuerunt, cum in tali conventu magis de genere imperioque belli gerendi quam de societate ipsa ageretur. Praeterea Arcades ab Atheniensibus auxilium petivisse talibus verbis tradidit Xenophon, ut non eo ipso tempore foedus initum esse existimem. Scripsit enim *ἔπεμπον δὲ καὶ Ἀθήναζε βοηθεῖν κελεύοντες*, plane aliter pergit de Lacedaemoniis: *ἐπορεύθησαν δὲ καὶ εἰς Λακεδαίμονα πρέσβεις ἀπὸ τῶν ἐναντίων, παρακαλοῦντες Λακεδαιμονίους, εἰ βούλοιντο κοινῇ διακωλύειν κτέ.* Accedit, quod Athenienses duobus fere mensibus, postquam ad bellum decrevissent proficisci.

VII 4, 2; VII, 1, 1.

VII. 5. 3.

[1]) Vitae X orat. Demosth. p. 845 D. — [2]) Plut. de glor. Athen. 7. — [3]) Köhler, Über zwei athenische Vertragsurkunden. Mitteilungen des deutschen Archäologischen Institutes in Athen I p. 201. — [4]) Dittenberger l. c. I Nr. 105. — [5]) Beloch l. c. II p. 288[1]. — [6]) Unger, Die Mantineiaschlacht 363 v. Chr. Philologus XLIX p. 121. — [7]) Unger l. c. p. 122. — [8]) Kromayer, Antike Schlachtfelder in Griechenland. 1903 p. 106/7. — [9]) Unger l. c. p. 121.

foedus ratum fecisse nisi necessitate coacti non credemus. Quibus rebus adductus illum titulum seiungendum esse a pugna Mantinensi censeo hoc modo cum interpretatus: Elei Arcadesque, quos Molone archonte inter se pacatos esse optime ex Diodoro comprobavit Foucart,[1] inde ab anno 370 partim usque ad annum 364 vel 363, partim usque ad pugnam ipsam cum Lacedaemoniis bellum gesserunt neque cum eis per annum 363/2 fecerunt societatem nisi timore Thebanorum adducti. Itaque cum Epaminonda mortuo imminutae essent Boeotiorum opes, metuebant, ne demum dominationi studerent Lacedaemonii, quippe qui pacem recusavissent; qua re commoti Achaeis Phliasiisque adiunctis brevi post pacem conclusam autumno 362 cum Atheniensibus pepigerunt.

Anno autem 362 ad Mantineam decertatum esse etiam eis comprobatur, quae Diodorus de Xenophontis Hellenicorum initio atque fine tradidit,[2] neque diei a Plutarcho
VII 5, 14. servato messis Mantinensium paucis diebus antea facta obstat.[3] Itaque Ungeri sententiam, qua pugnam commissam esse anno 363 exeunte Chariclide archonte contendit ita, ut XII. Scirophorionis die anni praecedentis 364/3
VII. 5, 16. vicissent equites Atheniensium, reiciemus, praesertim cum causae, quibus coniecturam suam confirmabat, haud multum valeant. Recte enim Kromayer Athenienses, quippe qui soli restitissent hostibus, satis habuisse, cur diem pugnae festum agerent, contra Ungerum[4] affirmavit.[5] Accedit, quod equitum victoria quamvis gloriosa non talis erat momenti, ut celebraretur ab universo populo. Atque si Xenophon inde ab Olympiis anni 364 usque ad pugnam Mantinensem perpauca narravit, hac re male nisus est Unger.[6]

---

[1]) Foucart, Revue archéologique XXXIII 3. série 1898 p. 324. — [2]) Diod. XIII, 42, 5; Kromayer l. c. p. 105. — [3]) Meyer l. c. V p. 471. — [4]) Unger l. c. p. 126. — [5]) Kromayer l. c. p. 108. — [6]) Unger l. c. p. 128.

quoniam eum multa tacere satis constat. Denique Artaxerxem alterum mortuum esse non anno 362 1,[1]) sed anno 359 diligentissimis quaestionibus exposuit Meyer,[2]) qui de toto hoc temporis spatio me habet assentientem. Itaque dissensiones Arcadum anno 363 tribuo[3]) atque hiemi insequenti, proelium equestre mensi Iunio exeunti, pugnam Mantinensem mensi Quintili ineunti 362 adscribo.

CONCLUSIO

Haec habui, quae de ordine atque temporibus rerum a Xenophonte traditarum dicerem. Sed antequam finem faciam, liceat mihi perpaucis, quae de triginta virum factis sentiam, exponere. Atque quo tempore susceperint rem publicam, ex Xenophontis quidem verbis vix possumus perspicere: nam cum toto illo loco plurima sint interpolata, II, 3.
Xenophontem triginta viros non dico institutos esse, sed institutos esse eo consilio, ut leges scriberent, eodem capite
bis tradidisse negaverim, praesertim cum priore paragrapho II, 3, 2: 11.
legamus *καθ' οὕς*, posteriore *καθ' οὕστινας*, altera genus verbi activum atque modum indicativum *πολιτεύσουσι*, altera genus medium et optativum modum *πολιτεύσοιντο*, quae haud scio an non idem scripserit. Itaque diiudicemus necesse est, utrum sequamur interpolatorem Xenophontis an II, 3, 1.
Aristotelem[4]) Diodorumque[5]) vel potius Ephorum, qui Samum expugnatam esse ante tyrannorum initium dilucide tradidit, atque equidem horum memoriam praeferam. Nam si Pythodorus triginta viris regnantibus rite scilicet sorte honorem adeptus est, quo iure posteri aut tempus aut modum creationis ei exprobraverunt? Non habebant, quod

---

[1]) Unger l. c. p. 131. — [2]) Meyer, Forschungen zur Alten Geschichte II p. 501. — [3]) Meyer, Gesch. d. Alt. V p. 466. — [4]) Arist. Pol. Ath. 35, 1. — [5]) Diod. XIV, 3, 4.

eum ex archontum tabula eraderent. Quare hoc si statuimus, nullo modo, quod creatus esset in tyrannide optimatium, sed quod trigintaviris imperantibus munere esset functus, postea a civibus potuit omitti: *ᾑρέθη* igitur male est dictum ab interpolatore pro *ἦρχε*. Sin archon est factus non sorte sed illorum voluntate et idcirco a posteris neglegebatur, non creatus est, sed institutus: ergo inepte scripsit interpolator *ᾑρέθη* pro *κατέστη*. Quamobrem hoc ipsum vocabulum *ᾑρέθη* satis multum valere ad Diodori vel Ephori atque Aristotelis auctoritatem labefaciendam nemo mihi persuadebit.

Iam igitur venio ad celeberrimam illam litem de rebus a trigintaviris gestis exortam. Hic non tam certis argumentis, cuius rerum scriptoris recta esset memoria, demonstratum, quam coniecturis comprobatum est, cur Aristoteles vel Xenophon minoris esset auctoritatis. Qua de re equidem omitto quaerere, quia nescio an plus intersit aliorum scriptorum citare locos, quibus commendatur Xenophontis rerum ordo. Isocratis enim verba:[1] *Λακεδαιμονίους, τοὺς ἐπὶ τῆς ὀλιγαρχίας ὀλίγου δεῖν καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν προστάττοντας ἡμῖν* melius intellegemus, si praesidium per totam fere trigintavirum dominationem arcem tenuisse quam ultimis tantum mensibus adfuisse existimabimus. Apud Lysiam autem exstant haec:[2] *εἰ γὰρ ὑπὲρ τῶν ἀδικουμένων ἐστασίαζον, ποῦ κάλλιον ἦν ἀνδρὶ ἄρχοντι, ἢ Θρασυβούλου Φυλὴν κατειληφότος, τότε ἐπιδείξασθαι τὴν αὑτοῦ εὔνοιαν; ὁ δὲ* (scilicet Eratosthenes) *ἀντὶ τοῦ ἐπαγγείλασθαί τι ἢ πρᾶξαι ἀγαθὸν πρὸς τοὺς ἐπὶ Φυλῇ, ἐλθὼν μετὰ τῶν συναρχόντων εἰς Σαλαμῖνα καὶ Ἐλευσῖνάδε τριακοσίους τῶν πολιτῶν ἀπήγαγεν εἰς τὸ δεσμωτήριον, καὶ μιᾷ ψήφῳ αὐτῶν ἁπάντων θάνατον κατεψηφίσατο.* Nonne hac occasione etiam, quod plebem urbe eiecisset, Eratostheni exprobravisset orator, si expulsa esset post Phylam occupatam?

[1]) Isocr. VII, 69. — [2]) Lys. XII, 52.

Quibus rebus absolutis quoniam ad finem perveni, cum semper fere Xenophontis verba praetulerim vel Diodoro vel aliis, illud mihi liceat adicere: quanto minus rerum scriptor temporibus accurate terminandis operam dederit, tanto maioris esse habenda, quaecumque de ordine rerum dilucide dixit. Nam rettulit, quae certo scivit; quae nescivit, non computavit, sed omisit.

INDEX RERUM ET LOCORUM

Abydena pugna 3—5.
Aegyptium bellum 71—78.
Agesilaus 27, 37, 48—53, 55, 61, 63.
Agesipolis 62—70.
Agis 11—13.
Alcibiades 4, 10, 17, 19—23.
Alcidas nauarchus 42—43.
Alcidas 29—32, 37.
Alexander Macedo 91—93.
Alexander Pheraeus 91—94.
Antalcidas 39—40, 42, 54—57, 78—80.
Arcadum atque Eleorum bellum 100.
Aracus 23—24, 42—45.
Aristocrates 29—31, 37.
Astyochus 41—46.
Cadmea capta 67—69.
Callicratidas 7—9, 18, 40—43.
Caunus 27—28.
Chalcedon 7, 15.
Chares 95—96.
Citiea pugna 72—77.
Cleombrotus 61—66, 81—83.
Cnemus 40—44.
Cnidia pugna 25—26, 48.
Conon 7, 18—20, 25—28.
Corinthia pugna 49—51.
Corinthium bellum navale 53—60, 78—79.
Corinthium bellum terrestre 48—53.
Cratesippidas 22, 42.
Cyprium bellum 60, 70—78.
Cyzicena pugna 5—11, 17.
Dionysius prior 84—85, 90—94.
Dionysii prioris auxiliaria 90—95.
Dionysii alterius auxiliaria 99—100.
Ecdicus 36, 42, 54—56, 78.
Epaminondas 83—102.
Euagoras 71—78.
Euclea 49.
Euphro 96—99.
Hermocrates 16.
Hierax 39—42, 54—57, 78—80.
Iphicrates 29—33, 49—53.
Lasio 99.
Lechaeum 52—53.
Leotychides 42—44.
Lysander 8, 17—24, 40—47.
Mantinensis pugna 100—102.
Melanchridas 40—42.
Mindarus 9—10, 17, 41—46.
Mnasippus 29—34, 42—47.
Nauarchi Lacedaemoniorum 9, 23, 27, 34—47.

Nemeaca pugna 48—50.
Notiensis pugna 18—21.
Olynthiacum bellum 59—74.
Oropus 95, 99.
Pamphilus 57, 80.
Panegyricus 59—64, 69—78.
Pasippidas 6.
Pax Thebana 99—100.
Pelopidas 86—94.
Peloponnesiaca expeditio Thebanorum prima 83—85.
Peloponnesiaca expeditio Thebanorum altera 85—89.
Peloponnesiaca expeditio Thebanorum tertia 96—98.
Pharax 24—28, 36—42.
Pharnabazus 14, 27, 54, 78.
Philocrates 58—59, 77—78.
Phliasii 90, 95—99.
Phliasium bellum 59—69.
Phocicum bellum 33—34, 81—83.
Phyle 105.
Pisander 42—43.
Podanemus 54—56.
Polus 42—43.
Pylum 11—14.
Pythagoras 38—42.
Pythodorus 103—104.
Rhodus 16—17, 25—28, 79—80.
Samius 38—42.
Sellasia 99—100.
Sphodrias 63.
Stesicles 29—34.
Teleutias 39—42, 49—58, 65—69, 77—80.
Thebae liberatae 61—64.
Theramenes 10.
Thessalicum bellum 89—94, 98.
Thrasybulus 20, 56—58, 79—80.
Thrasyllus 8—18.
Timotheus 29—34, 61.
Trigintaviri 103—105.

Andocides III, 18. 48—52.
Aristides I p. 419. 67.
I p. 816. 17.
II p. 370. 50.
Aristoph. Plut. 174. 57.
549. 79.
Demosth. XLIX. 30—32.
Diod. XIII, 49, 2. 5, 9—10.
XIII. 64, 7. 14.
XIV, 81, 6. 25.
XV, 2, 1. 73—74.
XV, 9, 2. 70—73.
XV, 22, 2. 64—65.
XV, 45—47. 29—34.
XV, 70, 3. 97.
XV, 74. 84.
XV, 75, 2. 93—94.
XV, 76, 1. 95.
Dion. Hal. Lysias 21. 12, 15.
Isocr. IV, 141. 70—75.
IV, 142. 24—25, 28.
IV, 153. 71.
VII, 69. 104.
IX, 64. 26—27, 72.
Lysias XII, 52. 104.
XIV, 38. 19.
XIX, 21, 29. 58—59.
XIX, 52. 19.
Plut. Pelop. 24. 86—88.
26. 89.
Theopomp. frgm. 111. 75.
Thuc. III, 26, 1. 24, 35—36.
VII, 87, 1. 43.
Xen. Hell. I, 1, 2. 3—5.
I, 1, 33. 13.
I, 2, 1. 5.
I, 2, 8. 12, 16.
I, 4, 5. 14—15.

Xen. Hell. I, 4, 21. 23.
I, 5, 10. 22.
I, 5, 20. 20—21.
I, 6, 1. 7—8, 40.
II, 1, 6. 23.
II, 1, 7. 24, 35, 54—55.
II, 3, 2. 103—104.
II, 3, 11. 103—104.
III, 1, 1. 38, 40.
III, 2, 12. 40.
III, 4, 1. 26.
III, 4, 27. 37, 40.
IV, 4, 1. 51.
IV, 4, 14. 51—52.
IV, 4, 18—19. 52—53.
IV, 8, 11. 54.
IV, 8, 24. 59, 72, 76, 79.
V, 1, 13. 54—55.
V, 3, 9—10. 61—64.
Xen. Hell. V, 3, 18. 62—67.
V, 3, 27. 62.
V, 4, 64. 61.
VI, 2. 29—34.
VI, 2, 1. 33.
VI, 2, 3. 34.
VI, 2, 13. 30.
VII, 1, 1. 88.
VII, 1, 28. 91, 94.
VII, 4, 12. 100.
Inscriptiones.
CIGS III, 1, 694. 49.
Dittenberger I², 51. 11.
67. 48.
73. 56—57.
89. 84—85.
90. 94.
105. 101—102.

VITA

Ernestus Herwartus Lohse natus sum Id. Sext. anni MDCCCLXXX Fribergae, unde nono anno post transmigravi Cygneam. Pater meus Ernestus Eduardus, qui per XXX fere annos ludis litterarum praefuit inspector, summo cum dolore meo nuperrime decessit Cygneae. Mater mea est Anna ex gente Heubner. Ego fidei evangelicae addictus per quadriennium primis litterarum elementis imbutus anno MDCCCXCI gymnasium adii Cygneense, quod illis temporibus florebat rectore Erler, brevi post Gerth successit. Quo praeceptore ultimo proximi saeculi anno maturitatis testimonium adeptus philologicis studiis atque historicis me dedidi prima aestate Monaci, deinde per anni spatium Lipsiae, tum Berolini sex mensibus, postremo per sexiens senos menses Lipsiae iterum. Atque scholis interfui virorum doctissimorum: Brugmann, Diels, Furtwängler, Harnack, Heigel, Hertling, Heinze, Hirschfeld, Hofmann, Immisch, Jungmann, Koster, Lamprecht, Lipsius, Martini, Marx, Müller, Ratzel, Seeliger, Studniczka, Volkelt, Wachsmuth, Wilamowitz, Wölfflin, Wundt.

Sodalis fui ordinarius proseminarii philologici Lipsiensis Immisch moderante per duo semestria, proseminarii philologici Berolinensis Diels, Heinze, Helm moderantibus, seminarii regii philologici Lipsiensis Lipsius, Marx, Wachsmuth moderantibus per duo semestria, seminarii historici Lipsiensis Brandenburg, Lamprecht, Seeliger, Wachsmuth moderantibus per VI semestria.

Et benignissime admiserunt me ad exercitationes historicas philologicasque Hirschfeld per unum semestre, exercitationes philologicas et metricas Marx per senos menses, societatem antiquariam Graecam Lipsius, exercitationes paedagogicas Jungmann per duo semestria.

Quibus omnibus gratias quam maximas ago semperque habebo.

Spezialdruckerei für Dissertationen, Robert Noske, Borna-Leipzig.

LGr
X55h
.YLo

507996

Xenophon. Hellenica
Lohse, E.H.
Quaestiones chronologicae ad Xenophontis Hellenica pertinentes.

DATE. NAME OF BORROWER.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 07 14 06 005 9